

Zb  
4038

F. K. 56.

IV, 306.

F.V. 56 (14)

IV, 306





M. THEORHILUS GRABENER  
Illustris Afranei Rector.  
Natus d. III. Novembris MD C LXXXV.  
Obiit d. IV. Aprili MDCCCL.  
Ingenium probitas methodus doctrina fidesque  
uno in Grabnero consociata nuntiatur.  
D.C.F. Wilisch. M. M. M. M. M. M.

Selang Jr.

EVOCATIONVM DIVINARVM  
IN VITA  
DESIDERATISSIMI PARENTIS  
DOMINI  
**M. THEOPHILI GRABENERI**  
RECTORIS QVONDAM ILLVSTRIS AFRANEI  
NOTATIO  
**DEO PARENTI POSTERIS**  
A FILIIS FILIABVSQVE  
**PATREM**  
COMMVNI AFFECTV LVGENTIBVS  
DEBITA ET DICATA  
LITTERISQVE CONSIGNATA  
A  
**M. CHRISTIANO GODOFREDO GRABENERO**

RECTORE SCHOLAE NOVAE VRBIS AD DRESDAM.

---

D R E S D A E  
EX OFFICINA HARPETERIANA  
OO IOCCCL.

IN CHIRISTIANO GODOPOLITICO GRABENI  
RESTITUTIO A STOLOVATE ALIAE ET ALIA  
DUXISSE  
CO 1500CEP  
XX. OCTOBRII A. M. 1552  
DE DEDICATIA  
PATRUM  
COMUNI ALLEGORICA INGENITIVAS  
DILECTAE DILECTA  
INTERSCULPTA COSECERANT  
DE DEDICATIA  
DUDUM HABENDI AUSTRIIS  
GRABENI  
DON. II  
DUDUM HABENDI AUSTRIIS  
GRABENI  
M. THEOPHILI GRABENI  
GRABENI  
M. THEOPHILI GRABENI  
GRABENI



## EVOCATIONVM DIVINARVM

NOTATIO

IN VITA

# M. THEOPHILI GRABENERI.



iis DESIDERATISSIMI PARENTIS manibus parentaturus tristissimum sane officium persoluo. Ipsum dulce parentis nomen tot in memoriam reuocat beneficia, quae praesentia me tantopere ornarunt, ac delectarunt, quanto- pere amissorum desiderium me nunc angit, atque affilit. Accedit innatus filiorum animis genitoris amor, quem multorum annorum usus ita aluit, et firmauit, ut exticti PARENTIS pia recordatio, et ab eo bene actorum fida enarratio, cum tan-

A 3

to

to dolore non possit non esse coniuncta, ut metus sit, ne illius uitio aut oratio langueat, aut in tradendis affectus, non ueritas, dominetur. Quum autem utrumque uitium eiusmodi commentarios deformet, arduum sane opus aggredior, dum tales meditor, qualibus utrumque ita exulet, ne simul in paterna merita iniurius deprehendar. Haec enim ingrato silentio dissimulare, dissuadet pietas in uitrum, quem mihi natura patrem, muneris ratio magistrum, uitae genus exemplum, dedit, ad quod animum, iisdem studiis deditum, effingerem. Nam si uirtus in hoste etiam laudanda est, cur non in patre? Fore enim dubito, quibus homines de schola ita sordeant, ut eos solos omni uirtutis laude indignos existiment, qui uirtutem, testimoniis, et auctoritatibus, summorum in re publica uirorum muniam, atque ornatam, contemtim conterant, qui ne aliqua quidem ex parte PLINII probent de scholasticis iudicium: *Hoc genere hominum, inquietis (a), nihil est aut simplicius, aut sincerius, aut melius.*

Stat ergo sententia. Delineabo potiores PARENTIS OPTIMI casus. Nullo opus erit fuko, nullis uerborum lenociniis. Ipsares loquetur, an eius uita, uirtute, et memoratu dignis fortunae uicissitudinibus, caruisse, iudicanda sit? Si quid tamen intelligo, euocationibus ad fngendam suam, aliorumque, fortunam neutiquam uulgaribus dignatus a DEO est CARISSIMVS PARENTS, quae ad similitudinem accesserunt ROMANAE illius militiae EVOKEATORVM (b). Sic enim ueteranos milites uocatos esse, nouimus, qui, emeritis stipendiis, auctoritate ducis, aut temporum ratione, adducti, subito bello, aut tumultu, orto, militiae nomen denuo derunt. Quorum igitur militia quum, et militantium rerum bellicularum peritia, et fiducia ducum in illis posita, et grauitate gerendrum rerum, et externis insignibus, se commendaret, ipsum EVO-

CA-

(a) *L. II. Epist. III. §. 5.* (b) *Conf. BRISSONII de formulis et sellennibus P. R. uerbis, L. IIII, p. 341.* *TVRNEBI Aduersariorum L. I. Cap. VIIII. DIONYSIVS VOSSIUS ad CAESARIS de Bello Ciuali L. I. Cap. XXVII, §. 5.*

CATORVM nomen tantae uidebatur dignationis, ut illud statuis, monumentisque sepulcralibus, EVOCATORVM inscriberetur. Imitor ergo ROMANVM hoc institutum, dum PARENTEM OPTIMVM EVOCATORVM numero insero, et, uitam eius tot DIVINAE EVOCATIONIS documentis insignem fuisse, doceo, ut, titulo EVOCATI DEI, uel etiam, ROMANO more, EVOCATI AVGVSTI, imaginem, aut sepulcrale eius monumentum, notare, non possit non per optimos quosque licere. Sed quis non intelligit, hoc fieri non posse, quin simul EVOCANTIVM, DEI et PROCERV M, gratia publice celebretur, eique acceptum referatur, quicquid PARENTEM OPTIMVM tali titulo dignum reddidit? Sic autem ego, PATERNAE pietatis testis, et interpres, simul ipse pius, et in EOS, qui PARENTEM ornarunt, et in ipsum PARENTEM, ero.

ZSCHOPPACVM, uicus, inter LEISNICVM et COLDICIVM positus, qui praesulatu sacro antistitis COLDICIENSIS subest, DILECTISSIMO PARENTI, die III. Nonas Nombres, si fastos nunc antiquatos sequamur,  $\infty 1585$ , primam lucis usuram dedit. Parentibus ille usus est IOANNE WOLFF GRABENERO, sacerdote, tum illius uici, antea ZEDLICENSIS, haud ita longe ab urbe CHEMNICIO remoti, post oppiduli SCHEIBENBERGENSIS, ANNAE BERGAE uicini, et EVPHROSYNA, filia CHRISTIANI LEHMANNI, sacerdotis primo ELTERLEINENSIS, et deinde SCHEIBENBERGENSIS, theatri historici rerum in agris Saxoniae montanis memorabilium (c) auctoris. Horum coniugum, suo ipsorum iudicio felic-

(c) Prodiit hic liber LIPSIAE  $\infty 1585$ . post mortem auctoris, cura filiorum eius, et in his potissimum CHRISTIANI LEHMANNI, praesulis quondam sacrorum optime meriti, quae FREIBERGAE, et in agro, urbi attributo, sunt, sequenti titulo instructus: Christian Lehmans historischer Schauplatz derer natürlichen Merkwürdigkeiten in dem Meissnischen Ober-Erzgebirge.

felicium parentum (d), quatuordecim ex ipsis natorum undecimus, octo filiorum sextus, suisque omnibus solus superstes, fuit, siquidem ex tot fratribus, sororibusque, praeter fratrem unicum, omnes ante aetatis annum quadragesimum obierunt. Non quidem desunt, qui, quoties numerosae prolis mentio iniicitur, toties ad rem ridiculam, atque iocosam, delapsi sibi uidentur, et tanto magis sibi placent, quanto plura intempestiuum acumen ingenii suggestit, quae de diuina cura posteritatis detrahunt, et ne tantum quidem honoris numerosae siboli tribuunt, quantum ex profanis gentibus bene moratae. Sed sicuti, QUINTILIANO auctore (e), *nimum risus pretium est, si probitatis impendio constat*, ita pii contra PATRIS mei parentes, ut liberos singulos, sic et hunc sextum suum filium, tanquam a DEO ipso in hunc mundum euocatum, grati exceperunt, et pie curarunt, ut ipsis Nonis Nouembribus per sacrum fontem, tanquam ad aeternae salutis hereditatem diuinitus euocatus, rite initiaretur. Insignierunt eum nomine THEOPHILI, quo dies eius natalis in fastis notatus erat, nec iidem solum auctores illi, suasoresque, extiterunt, ut conuenientes huic nomini mores indueret, sed et ipse eo sic delectatus est, ut eius interpretationem optimam in illo, ipsi semper solatii pleno, loco deprehendisse sibi uideretur: *Aeterno te amore prosecutus sum, ideoque usus erga te clementia* (f).

Si parentum fortunae illorum fidei respondissent, neque illis percissent in suo bene educando THEOPHILO. Sed, queso, quantos sumtus in filium facere potest pater quatuordecim liberorum, munus obiens non admodum fructuosum, et in ea tempora incidens, quibus in isto montano tractu summa erat, et diuturna, annonae caritas?

(d) En ipsa aut uerba, ex uita, ab eo ipso exposita, depromta: Sollte ich nicht für eine große Wohlthat Gottes achten, daß ich ein so glücklicher Vater worden bin, der nicht nur an 14. Kindern nicht die geringste Schande in der Welt erlebet, sondern auch 12, davon bereits vor meinen Augen auf ihrer Bette, allein nach Gottes heiligen, guten und gerechten Willen, wohlbereitet, sanft und seelig aus der bösen Welt zu jenen ewigen Freuden-Leben abscheiden gesehen? (e) *Institut. Oratoriar. L. VI, Cap. III.* (f) IEREM. XXXI, 3.

tas? Memini enim, aliquoties PATERM narrasse, modium farris eo tempore quatuordecim Joachimicis uenisse. Erant ergo quotidiana PARENTIS fercula panis furfureus, leuissima obsonia, et in his quam frequentissime brassicae caules, omisso omni condimento, sola aqua decocti. Nihilominus adolescebat ille feliciter, parentum que suorum monitis, et exemplo, excitatus, mature imbuiebatur amore uirtutis, fidorumque magistrorum inter priuatos parietes instituioni commendatus, excitatorius ingenii beneficio, laetius proficiebat, quam tenera eius aetas pati uidebatur. Paullulum adultus tradebatur a patre fidei Rectoris SCHLETTAVIENSIS scholae, PVSCHI, uiri industria, et dexteritate, sua tum temporis clari, ea quidem lege, ut quo-uis lunae die SCHLETTAVIAM peteret, et quouis Saturni die inde rediret. Aggrediebatur itaque noster THEOPHILVS dicto semper die iter suum scholasticum, onustus sarcina, nunc libris, nunc pane, et obsoniis, graui, interdum etiam aliquot numis instructus, quibus uictum necessarium sibi comparare iussus erat.

Sed incessit eum aliquando libri, nescio cuius, emendi cupidio. Ut igitur uoto suo potiretur, nec tamen parenti, nouos suggestere sumtus, opus esset, numos, parando uictui destinatos, retinendi, colligendique, cepit consilium, usque dum eorum summa emendo illi libello sufficeret. Quum autem pecunia, ad cibum parandum data, tam modica esset, ut aliis usibus destinari non posset, quin pallor, et maces, parsimoniae consilium breui proderent, laudatus modo PVSCHIVS aduersae ualestinis explorauit cauas, exploratas miratus est, miratus signum bonae, litterarumque cupidissimae, mentis habuit, et uictu, aliisque amoris sui documentis, egestatem huius pueri ita subleuauit, ut hic, honestis muneribus praefectus, de posteris huius PVSCHII bene merendi occasionem gratus exoptaret, nec occurrentem quam maxime doleret.

Reuertens aliquando noster THEOPHILVS SCHLETTAVIA SCHEIBENBERGAM album animaduertit in aristis rorem, quem, quum gustasset, dulcem esse sensit. Sed nocte in-

sequentí conuulsionibꝫ, et morbo caduco, tam misere correptus est, ut aduocati parentes non de illius modo uita desperarent, sed eum quoque, quum diu sine sensu iacere, nec amplius spiritum ducere, uisus esset, tanquam mortuum lugerent, abeentesque de sepeliendo eo consultarent. At enim post aliquot horas THEOPHILVS noster, ueluti ex alto somno expergesfactus, et eius, quod acciderat, nescius, surrexit, miratusque summum corporis languorem, parentum sollicitorum consultationes aduentu suo interrupit, diu autem postea aegrotauit, ut neruorum, maiorem in modum afflictorum, doloribus, atque infirmitati, mederetur. Vera tamen tanti morbi causa et ipsum, et parentes, et medicos, diu latuit, usque dum, roris illius albicantis gustationem aliquando memorando, medico, et parentibus, suspicandi materiam p̄aeberuit, quod genus quoddam uenenati roris gustasset.

Nec tamen tunc modo periculum mortis subiit. Ut enim duos grauissimos lapsus taceam, quorum altero humerus, altero nasus, eius tam grauiter laesus est, ut inter chirurgorum manus multa pertulerit, aetate tenerima morbi, nescio cuius, ui denique extingui uisus est, ut hinc eum sui in aliud conclave deportandum curauerint, in quo seruaretur, donec funeralis dies uenisset. Quum autem amita, eius semper amantissima, lacrimans aliquando accederet ad fatus, quod putabatur, fratris filii, hic inter eius lacrimas oculos subito aperuit, mirantemque amitam allocutus, balbutiens cibum poscit. At quamcumque huiusmodi erroris cauissami frigamus, huius tamen pueruli studia grauissimis aliquot morbis ualde impedita esse, ex eo intelligimus. Namque

*Per uarios casus, per tot discrimina rerum,  
Tendimus in LATIVM (g).*

Nullum autem uitiae periculum, nec aetas paullo adulior, eius litterarum amorem minuit, sed ita potius accedit, ut illum attendens

pa-

(g) VIRGILIVS *Aeneid. L. I. u. 108.*

pater de filio, in illustrem scholam PORTENSEM, in qua iam duo filii litteris operam dederant, deportando, cogitaret. Annuit etiam eius petitis sacer ille senatus, qui auctoritate PRINCIPIS scholarum illustrium supremam curam habet, ita, ut THEOPHILVS noster, *ipis Idibus Augusti 10 CLXXXVIII*, in numerum alumnorum PORTENSIVM reciperetur. Quamuis autem uita eius scholastica, nec aduersae ualestudinis, nec eiusmodi condiscipulorum, temptationibus omnibus caruerit, quae documento sunt, quod etiam inter

*nitentia culta*

*Infelix lolium, et steriles dominantur auenae (h),*

tot tamen diuinæ prouidentiae, magistrorumque fidei, specimini bus ibidem se ornatum uidit, ut haec illa mala longe superauerint. Vsus enim est praeceptoribus, M. DANIELE MULLERO, Rectore, CHRISTOPHORO CONRADO BESSERO, sacrorum assistite, M. IOANNE GOTTLLOB HARTMANNO, ConRectore, M. CHRISTIANO HEIDERO, Collega tertio, M. DAVIDE ROESSERO, Cantore, eiusque successore, IOANNE CHRISTIANO MAIO, M. IOANNE CHRISTIANO BLVMENROEDERO, Diacono, et Collega, eoque extinto, M. IOANNE CHRISTIANO WEIDNERO. Quorum quidem omnium in se merita, dum uixit, pia mente ueneratus est, in primis tamen HARTMANNI, et WEIDNERI, recordari nunquam potuit, quin, in gratissimæ mentis signum, illis, eorumque posteris, bene precaretur. Inter documenta uero praeceptorum amoris, et fiduciae, semper retulit, quod hi ipsius institutioni priuatae iam secundo uitæ scholasticae anno condiscipulum aliquem commiserint, quod ipsum prae reliquis WEIDNERO commendauerint, quum honesto ingenui discipuli famulatu indigeret, quod aditu ad se familiariori dignati sint, quod nullo genere tum doctrinae, qua iuuenilis aetas impertiri deberet, tum consiliorum, ipsi defuerint, quod

B 2

prae-

(h) VIRGILIVS Georgicor. L. I. u. 152.

praemii quibusdam scholasticis ipsum condecorauerint, et tandem quod inter pias preces, quin et lacrimas, ipsum, peracto sexennio dissum, honorifico testimonio prosecuti sint (i). Floruit semper in PORTENSI SCHOLA studium Musices. Nec ab eo abhorruit animus OPTIMI PARENTIS. Quare illi

*liquidam schola  
Vocem cum cithara dedit (k).*

Te-

- (i) Forsitan erunt, quos non taedebit, ipsa huius testimonii uerba legisse, quum mirum, de schola PORTENSI tum optime merentem, DANIELEM MULLERVM, auctorem agnoscant. Licebit ergo illa perscribere: *In elegantibus ARISTI et EVGENII dialogo de re emblematica refertur quoddam, quod quidem Secretario Academiae cuiusdam dicatum fuit, nec tamen obstat, quo minus, tanquam e fonte publico haustum, alios etiam ornat. Picti erant plurimi circuli, in se in uicem inluti, et sese ambientes, maiores, minoresque, usque ad centrum, quod ambibat minimus, cum lemmate: Minimus intimus. In circulorum dispositione maiores quidem plus occupant spatii, minimus tamen proximus est centro, adeoque quod conspicuitate accedit illis, id proximitate centri huic donetur. Ut haec ad nosrum institutum applicentur, babuumus GRABENEROS tres, qui consortio, atque institutione, illustris scholae huius usi sunt. Maiores natu, iam Academicis studiis absolutis, fructum industriae sua uel percipiunt, uel exspectant. Tertius, natu minimus, nunc, exacto sexennio, etiam ex bac palaestra in liberiorem aërem dimittitur, intimus, et affectu dignus, propter pietatem, propter obedientiam, probitatem ac diligentiam. Quibus consecutus est, ut paternam benedictionem ipsi imperiamur, et eius studia bonis, atque beneficis, commendemus. Discedat itaque, et in bono, sicut hactenus fecit, semper crescat sub divina gratia THEOPHILVS GRABENERVS, SCHEIBENBERGENSIS, quem dimittimus beneuola mente, paucis quidem testimonii uerbis, sed quae magni instar esse, ipse cognoscet.* PORTAE, d. 30 Junii 1000 CCCLIII. (k) HORATIVS L. I. Od. XXIIII, u. 3. sequ.

Tenuit enim inter acuta uoce cantantes aliquandiu primas, citharamque, quam uocant, Dauidicam pulsare didicit. Omnibus ergo studiis rite imbutus, quibus haec illustris schola eminet, *pridie Calendas Quinciles*  $\infty$  10CCIIII, illi sollemni ritu, formulaque, uale dixit, praemissa oratione *de uariis precantium ritibus*.

Petebat ergo, salutatis, et consultis, parentibus, VITEMBERGAM, alboque ciuium Academicorum XIII *Calendas Octobres* a Prorectore Magnifico, GEORGIO FRIDERICO SCHROEERO, inserebatur. Frequentabat ab eo tempore celeberrimorum illius temporis uirorum scholas. Audiebat enim GEORGIVM FRIDERICVM SCHROEERVM, SALOMONEM DEYLINGIVM, et GEORGIVM SCHOENINGIVM, praecepta Philosophiae, CHRISTIANVM VATERVM, et IOANNEM HENRICVM HEVCHERVUM, cauissas rerum naturalium, HENRICVM KLAWSINGIVM scientias mathematicas, CONRADVM SAMVELEM SCHVRTZFLEISCHIVM, IOANNEM GVILIELMVM IAHNIVM, GOTTLIEB WERNSDORFFIVM, et VALENTINVM ERNESTVM LOESCHERVM, historiam litterariam, et sacram, IOANNEM CHRISTOPHORVM WICHMANNSHAVSENIVM, et IOANNEM CHRISTOPHORVM WOLFFIVM, linguas, et disciplinas, populorum, terras, orientem solem uersus positas, incolumit, IOANNEM GEORGIVM NEVMANNVM, GOTTLIEB WERNSDORFFIVM, CASPAREM LOESCHERVM, et GEORGIVM FRIDERICVM SCHROEERVM, sanctiores disciplinas, tradentes. Cum qua uero cura, atque opera, haec studia eius coniuncta fuerint, nunc est dicendum.

Si paupertas, PETRONIO auctore (1), bonaे mentis soror est, illam quoque in Academia comitem noster non potuit non habere THEOPHILVS. Parentes, sumtibus, in studia reliquorum filiorum,

B 3

(I) In Satyric. Cap. LXXXIIII.

rum, et nuptias aliquot filiarum, factis, uiribus, studia minoris natu-  
 filii parata pecunia subleuandi, adeo orbati erant, ut illi, VITEM-  
 BERGAM abeunti, uix sex Ioachimicos suppeditare ualerent. His  
 se, suasque sarcinas, SCHEIBENBERGA VITEMBERGAM  
 deportari, nomenque suum tabulis Academicis inscribi, curare, adi-  
 tum ad scholas quorundam doctorum uirorum sibi patefacere, uictum-  
 que necessarium, et domicilium, sibi parare, iussus erat. Sed statim  
 post aduentum suum persentiscebatur, superstites numos uix breuissi-  
 maie in Academia commorationi sufficere. Studebat ergo serio indi-  
 gentiae suae subleuationi, eaque potiebatur, quum a litterature, ab  
 oriente ad nos perlatae, scientissimo uiro, IOANNE CHRISTO-  
 PHORO WICHMANNSHAVSENIO, in domum recipere-  
 tur, ministeriisque honestis adhiberetur. Commoda, quae in eum  
 inde redundabant, erant habitatio honesta, tot lectionum publicarum  
 aequae, ac priuatarum, auditio gratuita, usus bibliothecae instructissi-  
 maie docti hospitis, et quotidiana cum illo consuetudo, quae, fide PARENTIS cognita, in dies familiarior, et fructuosior, euadebat. Quum  
 autem haec commoda magis in gratuito iam paratorum emolumen-  
 rum usu, quam in parata pecunia, quae aliis necessariis rebus posset  
 impendi, posita essent, aliquoties accidebat, ut omni pecunia sic esset  
 destitutus, ut, relinquendae VITEMBERGAE consilium capien-  
 dum esse, censeret. Sed carminum fingendorum peritia, et stili cul-  
 tioris amor, atque usus, egenti saepe profuit. Modo enim erat, qui  
 carmen posceret, aut effectum parata pecunia redimeret, modo certo  
 pretio suam illis condicebat operam, qui politiori eius dicendi genere  
 delectabantur. Nam adeo uiri quidam doctissimi commendationum  
 suarum, publice defendendarum, argumenta ei conscribenda, et ROMANO sermone exprimenda, tradiderunt. Quod illi quidem tri-  
 plici usui fuit. Sic enim magni ingenii uiris de meliori se commenda-  
 uit, argumenta, eruditione tantorum uirorum dignissima, in usum  
 suum conuertit, dataeque operae praemia tulit. Nam subsecutae sunt  
 PATRONORVM commendationes, quibus AVGVSTISSI-  
 MORVM Academiarum SAXONICARVM nutritorum, illustris  
 gentis FRISIAE, et familae celeberrimae HORNIANAE, stipen-  
 dio-

diorum usum debuit. Illa tamen beneficia, quae ab hospite suo munifico accepit, in primis memoranda sunt, et forte, tanti viri inuitamenta ad ea nosse, iuuabit.

Versabatur PATER OPTIMVS illis annis in aedibus WICHMANNSHAVSENIANIS, quibus SVECI, in POLLONIA militantes, in SAXONIAM minabantur irruptionem. Metus igitur hostilis irruptionis, in dies auctus, permouit hospitem parentis, ut, opum pretiosissimas QVEDLINBURGVM mittere, decerneret. Hoc igitur negotium PARENTI demandauit, qui illud, lubenti animo susceptum, omni fide confecit, et VITEMBERGAM eadem hora per alteram portam rediit, qua per alteram urbem intrauerunt SVECI. Terror autem armorum hanc Musarum sedem ita desolauerat, ut in ipsa domo WICHMANNSHAVSENIANA, quae paullo ante a uiginti septem ciuibus Academicis incolebatur, tum solus pater superesset, cui hospes domum totam cum familia, et in ea duo liberos, natu minimos, etiam atque etiam commendabat, quem legatus Academiae ad REGEM SVECIAE RANSTADIVM proficisceretur. Contigit quoque PATRI OPTIMO esse tam felici, ut uarios SVECORVM insultus a domo hospitis e uoto auerteret, ut redux hospes suos saluos, aedesque sartas, tectasque, inueniret, et PARENTIS fidem laetus probaret.

Accidit non ita multo post, ut pater hospitis nobilissimus, qui PATRI PATRIAЕ a consiliis fisci fuerat, moreretur. Quum igitur ipse hospes QVEDLINBURGVM peteret, adeundae paternae hereditatis caussa, PARENTEM secum duxit, ut ibidem heredibus operam suam praestaret. Adhibitus quoque est negotiis uariis, ad hereditatem spectantibus, et sic occasionem nactus est, fere tori splendidissimae WICHMANNSHAVSENIANAE genti innotescendi, siquidem plures, quam uiginti, huius nominis consanguinei tum conuenerant.

Qui

Qui quum, confecto fere hereditatis negotio, aliquando sub uesperam consedissent, et de uix amplius sperando tam numeroso conuentu colloquerentur, tres graues pulsationes in conclavi praesentes omnes audierunt, sed, quum ante fores pulsantem neminem intuerint, non curarunt. Post perbreue interuallum tres alii, multoque sonantiores, pulsus ab omnibus auditи sunt. Perquisuerunt ergo, qui aderant, summa cura quemque angulum, sed causam eiusmodi repetitae pulsationis explorare nequieuerunt. Quam igitur mirati quum uix consedissent, insonuerunt tertia uice tres pulsationes, reliquarum omnium grauissimae, quibus denique praesentes omnes ita perturbati sunt, ut eas ominosas existimarent. Obierunt autem, exiguo temporis spatio interiecto, nouem tum praeuentum consanguineorum. Quod quidem PARENTS, eiusmodi omniibus alioqui parum fidens, ideo p[re]iae aliis aliqua attentione, et commemoracione, dignum censuit, quod plures, quam uiginti, eius rei testes, iisque nec timidi, nec captationi omnium dediti, nec indagationis caussarum cuiuscunque rei insueti, adfuer[er]e, pulsationes illae colloquium praeuentum, numerum suum mirantium, interpellarunt, easque totidem consanguineorum mors paullo post secuta est.

Perspecta in hoc quoque negotio PARENTIS fide, de occasione, dignis eam ornandi praemiis, cogitabat celeberrimus WICHMANNSHAVSENIVS. Quare post tres, et dimidium, annos suasor ei, auctorque, exstitit, ut Magistri honores ambiret. Vtebatur quidem PARENTS paupertatis excusatione, sed, ea improbata, idem consilium ursit, et, quum PATER tandem consentiret, sumitus, in capessendos honores Academicos faciendo, aut ipse suppeditauit, aut oblatos remisit, tanquam illius temporis Philosophorum collegii praeses, eidemque amplius concessit domicilium, delato ad alium famulandi officio, et uiris, auctoritate, beneficiorumque cura, pollentibus, eum tanto successu commendauit, ut his commendationibus plurima eorum, quae supra commemoraui, stipendiorum deberet PATER DILECTISSIMVS. Paullo post illud reliquis accessit beneficium, ut, suasu eiusdem PATRONI adductus, il-

lu-

Iustis uir, GEORGIVS GABRIEL WICHMANNSHAVSENIVS, qui REGI AVGUSTISSIMO tum a consiliis fisci, reique metallicae, erat, quartum suum filium, IOANNEM FIDERICVM, qui postea sacerdotio LAVSENSI admotus est, in Academiam recens missum, PATRI ea lege committeret, ut eius studiorum, uitaeque Academicae, curam haberet. Nunquam tamen DESIDERATISSLIMVS PARENTS illius temporis sine maximo affectu recordabatur, quo magnanimus, et liberalis, ille patronus, laudata ipsius fide, atque solertia, et largiori dato argenteorum numorum praemio, lacrimans his uerbis memorem bene actorum animum significauerat: *Quando te sumus oblitis, oblita est nostra dextra (m)!* Haec, et plura, munificentiae WICHMANNSHAVSENIANAE specimina, quae ne tum quidem cessarunt, quum PATER CARIS SIMVS iam muneri publico praefectus esset, effecerunt, ut WICHMANNSHAVSENIVM nomen PARENTI, dum uiueret, tam sanctum, et tam uenerabile, uideretur, ut eos omnes, qui hoc illustri nomine utuntur, singulari cultu, piisque uotis, pro eorum perenni salute nuncupatis, prosequeretur.

In illis tamen, qui PARENTI meo in Academia VITEMBERGENSI patrocinati sunt, in primis quoque memorandi sunt, illustris, et consultissimus, uir, CASPAR HENRICVS HORNIVS, qui REGI a consiliis prouocationum fuit, ut reliqua, quae ornauit, splendidissima munera taceam, cuius commendationi primam spartam PATER debuit, celeberrimus doctrinae purioris interpres, atque uindex, GOTTLIEB WERNSDORFFIVS, cuius fauore, dum uixit, ita usus est, ut ille litteras, ad PARENTEM datas, in amicitiae signum sic inscribere soleret: THEOPHILVS THEOPHILO SALVTEM! et in politioris litteraturae praesidium, et decus, natus CONRAD SAMVEL SCHVRTZFLEISCHIVS, cuius consilii, insigni librorum apparatu, institutione, ac bene-

(m) Ex Psalmo CXXXVII, 5.

XVIII

benevolentia, perfructus est. Quin fere nullus doctorum uirorum VITEMBERGAE tum fuit, ad quem aditus PARENTI OPTIMO non patuisset.

Vt autem ille paupertatis in Academia pertulit incommoda, sic nec ibidem uariorum periculorum expers fuit. Referre enim possumus, quod tum subiit, periculum, quem aliquando, omnium insidiarum securus, in uia publica ambulans, subitoque respiciens, nescio quem, gladium iam uibrare uideret, ut capiti ambulantis graue uulnus infigeret, qui uero, uultu PARENTIS uiso, resiluit, se fere incognitum petuisse, confessus est, ueniamque erroris petiit.

Eo, quo SVECI SAXONIAM premebant, domusque, et familiae, WICHMANNSHAVSENIANAE, curam PATER habebat, tempore, qui in illis aedibus collocati erant, SVECI, hospitio non contenti, tot detulerunt ad VITEMBERGENSIS praesidii pfectum summum, ferocem SVECVM, querelas, ut hic, PATREM statim accersi, iuberet, in accersitum quam grauissime inueheretur, falsisque militum criminationibus idoneis excusationibus ob uiam euntem, palo alligari, et uirgis, more SVECICO, caedi, iratus ediceret. Sicuti uero ardua res semper est, cum milite, eoque uictore, et dignitate inter reliquos eminente, contendere, ita hoc PARENTI cum eiusmodi uiro exortum certamen non poterat non uideri tanto terribilius, quanto timidior homo pauper, ac eiusmodi conditionis, est, qua PATER tum erat. Nihilominus hic subtimidus insueta tum audacia subito armatus est, ut

*contra audentior iret (n),*

et ad ipsum REGEM SVECIAE, eiusmodi illicitarum minarum ultorem uel ideo certissimum prouocaret, quod iisdem domus, et familia, uiri laederetur, qui legatus Academiae in ipsius REGIS castris uersaretur. Hac autem responsione sibi ita consuluit, ut dux ille

(n) VIRGILIVS *Aeneid. L. VI. u. 95.*

ille SVECORVM militum mitius responderet, iramque suam in milites, inique querulos, conuerteret, PATREM uero humanissimis uerbis dimitteret.

Alio tempore carmen, cuius auctor SVECORVM mores deriserat asperius, hos ita offenderat, ut a senatu Academico grauem in poëtam animaduersionem poscerent. Ille igitur senatus, ne SVECORVM iram acueret, omnibus fere suis ciuibus diem dixit, qui uena quadam ingenii clarebant, ut iure iurando probarent, se nec ipsos eius carminis auctores esse, nec uerum auctorem nosse. In his quoque PATER fuit, qui tamen, suorum iudicium sententias absolutus, ex hoc quoque periculo saluus euasit.

Anno  $\infty$  1000 VCCVIII salutatum abierat parentes, matremque minus recte ualentem reliquerat, quum VITEMBERGAM rediret. Sed ea ipsa nocte, sub quam eo reuersus erat, eiusmodi deliquio amici subito corripiebatur, ut non a contubernalibus solum, sed et ab aduocato medico, uel iam exstinctus, uel certe moribundus, putaretur. Post aliquot autem horas uitae quaedam signa aequa repente edidit, oculosque his uerbis, quorum tamen ipse recordatus non est, aperuit: *O beatam matrem!* Remisso illo primo morbi impetu, non quidem statim conualuit, nec tamen eundem denuo sensit, sed paullo post litteris paternis certior factus est, matrem dilectissimam eadem nocte, qua, illo morbo affectus, istis uerbis usus est, exspectatione citius obiisse.

Inter has autem casuum tristium, et laetorum, uicissitudines meditatus est PARENTS OPTIMVS, et edidit, nonnulla industriae suae Academicæ specimina. Nam, anno  $\infty$  1000 VCCVIII, praeside WICHMANNSHAVSENIO, suam de planctu Hadadrimmon commentationem publice tuitus est. Sequenti annoq[ue] ter concendit cathedralm Academicam, et, praesidis officio functus, dissertationes duas de sacris *Judeorum peregrino in hortis ritu facitis*, et unam de *excommunicatis per insomnia*, defendit. Nactus ergo potestatem in Academia

mia publice docendi plura eiusmodi specimina moliebatur, deliciisque uitae Academicae magis magisque captus, de stabilienda sua VITEMBERGAE fortuna cogitare incipiebat, praesertim quum nonnulli patronorum hos eius conatus et probarent, et iuuarent.

Verum enim uero inter haec consilia ab illustri HORNIO inscius commendabatur Senatui FREIBERGENSI, de magistro schoiae suae bene constitutae sollicito, eo quidem successu, ut ab hoc, quarto Idus Junias,  $\infty 1000$  CCXI, munus praceptoris tertii ad eum deferretur. Litteris ergo, Senatus FREIBERGENSIS nomine datis, FREIBERGAM inuitabatur, ut pridie Calendas Julias studiorum scholasticorum, docendique rationis, periculum faceret publicum. Fecit hinc illud, dicto tempore, eoque eventu, ut pridie Nonas Julias litterae, quibus ei munus illud demandabatur, a Senatu FREIBERGENSI perscriberentur, quibus DRESDAE productis, hoc Senatus consultum auctoritate REGIA munatum, et confirmatum est. Quo facto PAREN CARISSIMVS, relicta VITEMBERGA, XV Calendas Septembres,  $\infty 1000$  CCXI, sollemni ritu, formulaque, inaugurus, delatum munus auspiciatus est.

Vsus autem est FREIBERGAE Ephoro, CHRISTIANO LEHMANNO, Antistite, etiam post fata meritorum gloria florente, collegis, clarissimis uiris, M. SAMVELE MOLLERO, Rectore, M. SAMVELE HASSIO, Conrectore, M. IOANNE SAMVELE BEYERO, Cantore, BENIAMINE PFEILIO, Collega V, SAMVELE GODOFREDO REINHOLDO, Collega VI, et MICHAELI GEBHARDO, Succentore. Quodsi hominis de schola fortuna ex benevolentia Ephororum, amicitia collegarum, et discipulorum amore, metienda est, PATER OPTIMVS tristem uitam FREIBERGAE non egit. Quamuis enim, ui muneris sui, quibusdam horis primarum quoque classium discipulos doceret, uidebatur tamen ipsis patronis eius solertia ampliori, et fructuosa, sparta non indigna, et, quum collegae, ipso superiores, ea adhuc aetate, iisque uiribus, uterentur, quae spem faciebant, fore, ut  
ad-

adhuc per multos annos de schola bene mererentur, PATER autem patronis quibusdam orationibus, pro sacra concione habitis, se commendasset, in eo res erat, ut ab illis sacerdotio admoueretur, quum diuinæ prouidentiae, eum FREIBERGA MISENAM euocare, uideretur.

Abierat nimirum 1516 prouincia Con-Rectoris in illustri MISENENSI schola clarissimus uir, M. IOANNES DAVID SCHREBER, ut PORTENSEM scholam illustrem regeret, ei-que successor datus erat clarissimus uir, M. IOANNES BENE-DICTVS SILLIGIVS, illustris AFRANEI antea collega tertius. Videbatur quidem initio successioni in hunc locum destinatus M. IVSTVS CHRISTIANVS THORSCHMIDIVS, qui deinceps sacra ANNAEBVRGI procurauit, sed, quum ista destinatio paullo post irrita euaderet, sub finem mensis Nouembri a maxime uenerabili uiro, M. PAVLLO CHRISTIANO HIL-SCHERO, nostrae quandam urbis ornamento, litterae, iussu PROCERVM datae, ex PARENTE quaerabant: *Num paratus esset ad suscipiendam eam spartam, si id patronis placaret?* Reddis a PARENTE litteris, illius consilii uix ulla mentio facta est, usque dum, XIII Calendas Februarias, 1517, tabellarius, ab eodem laudatissimo HILSCHERO missus, sequentis argumenti epistolam apportaret: Recordor e litteris tuis, V. Cal. Decembr. elapsi anni uerborum tuorum: Stat haec, auctore Deo, sententia: *Si id (quod locum in Misenensi schola a te ornandum attinet) si id sine meis precibus, sine ambitu, sine palpariobus, contingat, ut, qui ad sacrorum sedenti gubernaculum, patres purpurrati, quorum quippe stipendiis inde usque a puero in Musarum castris militavi, ire in illam prouinciam iubeant, esse me, nihil cunctaturum, nihil detrectaturum discriminis, sortisque iniurioris, quod de uoluntate diuina sit subeundum. Quum igitur sua sponte consiliarii Proto-Synedrii te huic officio destinarint, iusserunt me, animum tuum explorare, num, si uocatus ab ipsis fueris, prouinciam banc in te sis recepturus? Quod quum oxyus ob dænum, quod schola hac tenus patitur, facere iussus sim, rogo te, uelis ita mentem tuam exponere, ut patronis de ea penitus constet!* Consultus de collega

*lega illustris scholae est WERNSDORFFIVS, qui te egregie, uti mereris, sponte sua commendauit. Accedit unanimis consiliariorum in te consensus. Agnosce igitur diuinae prouidentiae uestigia, ac obsequio tuo reuerere! Fac, ut hoc ipso nuncio sciam, quod scire patroni percipiunt!*

Per paucae igitur horae datae erant PARENTI ad deliberandum. His autem ita usus est, ut, DEO ardentissimis precibus in auxilium uocato, et patronis, amicisque, consultis, ad acceptas litteras ea respondere posset, quae tum deponendi, tum ineundi, munera ratio suadere uidebatur. Tandem XI Calendas Martias exploratoria specimina in illustri AFRANEO, praesente quodam sacri senatus PATRE CONSCRIPTO, eo successu edidit, ut nunquam sine honoris praefatione compellandus HILSCHERVS his uerbis ad eum uteretur: *Maximam laudem lectione tua ab imis pariter, et summis, reportasti. Qua de re non solum gaudeo, sed tibi etiam, scholaeque Misenni, ex animo gratulor. Plura de singulari DEI prouidentia tecum colloquar. Insignem tibi apud omnes discipulos non solum amorem, sed uenerationem etiam, parasti.* In primis tamen ea, quae tum PARENTI euenerunt, adjuncta illustrantur magni nominis uiri, WERNSDORFFII, epistola: *Eundem erga te animum, id est, mire propensum, perpetuo me retinuisse, cum alia, tum negotium maxime Misenense, ostendit. Nec enim, apud te saltem, illud dissimulauerim, me primum omnium fuisse, qui te summo senatui ecclesiastico per litteras commendarit. Communicata mecum quaedam fuerant de uacuo in schola illustri loco. Commodo tunc mihi scribendum erat ad Excellentissimum Dominum BEYERVM, Consiliarium Aulicum et Ecclesiasticum, quocum inde a multis annis litterarum quoddam commercium intercedit. Posteaquam enim summo huic uiro proprius innotui, alterum, non patronum, sed omnino parentem, in eo inueni. Huic ergo auctor eram, ut te sibi in explendo illo loco commendatum haberet, nullum enim me dubitare, quin eum sis ornatus mirifice. Addebam plura, quae ad te laudandum factura uidebantur. Ille in continentis litteras meas sacrum in senatum afferre, te, studia, uirtutesque, collegio toti insinuare, reliquis omnibus anteferendum putare. Quid multa? Res ex animi sententia cessit. Te enim in lectione don-*

pœ-

*μετανή Dominis Inspectoribus egregie satisfecisse, BEYERVS ipse laetabundus mibi significauit, et diuinæ prouidentiae uestigia obseruauit. Gratulor tibi ergo haec ampla munia toto pectore, et, ut iisdem incolumis quam diutissime bono priuato, et publico, fungaris, DEV M precor! Quum igitur PATER CARISSIMVS DRESDAE coram senatu sacro de munere rite obeundo fidem iureiurando obstrinxisset, discessum FREIBERGA MISENAM parabat.*

Ne autem mutus, beneficiorumque immemor, FREIBERGAM relinquere uideretur, meditabatur actum sollemnem, quo publice uale diceret, praemissa oratione *de antiquissima scholastici muneris dignitate*, quam in consessu frequentissimo uirorum, FREIBERGAE eruditionis laude clarorum, recitabat, ad quam audiendam elegis quibusdam inuitabat, fortunae, qua FREIBERGAE usus erat, rationem sequenti modo reddentibus:

*AFRA uocat, doctae genitrix foecunda iuuentae,  
AVGVSTI auspicio PRINCIPIS AFRA uocat.  
Ibimus, et Superum quae munia numine tradit,  
Protenus AFRANIS suscipiemus agris.  
Quae lux Aprilis post Idus prima sequetur,  
Dicta est auspiciis muneris illa noui.  
Cara relinquenda es nobis, FREIBERGA, metalli  
Nobilis, ac Musae pauperis alma parens.  
Non tua post, facilis quae præbes, ubera sugam,  
Non ero tutelae portio parua tuae.  
Dulcia præconum non post ego uerba tuorum,  
Qua licuit, cupida sedulus aure bibam.  
Non, mibi quo senos Patribus placuisse per annos  
Officio licuit, deinde placere licet.  
Candida pacificos mihi quos concordia iunxit  
Collegas longum dissociabit iter.*

Di-

XXIII

Dilectis Socerì post rarus in aedibus hospes,  
Heu! quantis animi saepe carebo bonis!  
Scilicet OTTONIS quae sors me ducit ab urbe,  
IVNGERO Sque iubet, FABRICIOSque, sequi,  
Teque, trium decus egregium, RABENERE, scholarum,  
Maternum coniux quem mea nouit auum.  
At mihi tam caris ne migrem mutus ab oris,  
Aut uestri meriti non memor esse puter,  
Eia agite, o patrii Praesul sanctissime sacri,  
Quique urbis regitis fraena, scholaeque, Patres,  
Tuque Sacerdotum, Collegarumque, corona,  
Quaque mihi, et studiis, cetera turba faues,  
Eia agite, Aprilis nona quum luce recurret,  
Post sacra consueto publica adeste loco!  
Parcite, quae tanti sint ausus quaerere caussae!  
Fas mihi sit Vestrum dicere cuique uale!

Qui quidem uersiculi mihi tanto minus tacendi uisi sunt, quod  
DESIDERATISSIMVS PARENS inscius, planeque tum ab  
eiusmodi cogitationibus alienus, illis uerbis sibi prouinciam rectoris  
AFRANEI MISENENSIS praeuinciasse existimari potest, qui  
bus, se FABRICIVM, et RABENERVM, quippe utrosque  
rectores illustris scholae, secuturum, canit.

Quum igitur FREIBERGAE uale dixisset, Idibus Aprilibus  
inter pia uota, et lacrimas, aliaque fauoris sinceri documenta, quin  
et quorundam comitatum, non sine singulari animi commotione, iter  
MISENAM adit. Nec eius pertaesos fuisse patronos FREIBER-  
GENSES, ex litteris indulgentissimi HILSCHERI conicio, in  
quibus ita indicat: *Bonum est factum, quod aegre a tuis, et Senatu, at-  
que Collegis, dimittaris. Nisi enim omnibus carus, et ad formandum in  
bonos mores, erudiendumque in elegantioribus litteris, iuuentutem artifex  
fue-*

*fueris, non adeo propensum in te haberent animum. Sed non poenitebit te  
olim facienda nunc uersurae.*

Sequenti post aduentum die, nimirum **XVIII** Calendas Maias,  
**1500** ab antistitibus scholae illustris, equestri dignitate emi-  
nentibus, collegis, discipulisque, pro more commendatus, noui mu-  
neris munia subiit. Inueniebat tum temporis socios laborum scho-  
lasticorum uiros doctissimos, M. IOANNEM IACOBVM  
STVBELIVM, Rectorem, M. IOANNEM BENEDICTVM  
SILLIGIVM, Conrectorem, et M. HENRICVM SIGISMVN-  
DVM KAVDERBACHIVM, Collegam quartum, rebus autem  
forensibus, et ad alendos iuuenes pertinentibus, praefectum consul-  
tissimum uirum, HAVBOLDVM GODOFREDVM IAV-  
CHIVM. Auspicia eius huius muneris mirifice subleuabat positum  
quondam in schola illustri PORTENSI tirocinium. Quum enim  
illa aetate illustrium scholarum omnium constitutio, et forma, esset  
eadem, ea MISENAE facilis negotio exercebat, quibus POR-  
TAE adsueuerat. Ab eo tempore, usque ad mortem suam, semper  
quosdam ingenuos iuuenes, honoriorum parentum filios, conuic-  
ores, suaque priuatae, ac domesticae, disciplinae commendatos, et  
cum illis oblatam sibi occasionem, habuit, et de PROCERIBVS  
bene merendi, et ingenia eorum perpolendi, qui, in spem patriae  
nati, ne tum quidem exhibitae fidei memoriam deponerent, quum  
spem patriae, grauibus muneribus admoti, explerent, ut hinc  
DRESDAE uix ullam PROCERVUM curiam ingrediar, quin aut  
parentes uideam, qui filios suos fidei PARENTIS crediderant,  
aut uiros, qui, eius doctrina quondam usi, consiliis, aut cum his  
coniunctissimis curis, iam curias ornant. Nec tamen priuata eius in-  
stitutione iuuenes tantum domestici, sed et multi alumnorum, quo-  
ties ratione muneris eorum custos erat per septiduum, fructi sunt,  
nec paucos memini, qui hoc ipso tempore iis se imbutos scientiis ab  
eo professi sunt, quibus publica hora nulla destinata fuit.

Quum solertissimus *STVBELIVS* pridie *Calendas Nouembres*  
**1500** obiisset, nanciscebatur successorem celeberrimum uirum,

D

M. IO-

M. IOANNEM HENRICVM MARTIVM. Obtingebat  
 PATRI esse tam felici, ut ille clarissimus vir ipsius de schola bene  
 merendi studium etiam intelligeret, intellectum probaret, probatum  
 que adiuuaret. Accesserunt circa idem tempus quaedam, quibus  
 adhuc indigere putabatur, illustri scholae ornamenta, quum auspicio  
 REGIO viri constituerentur, qui disciplinis MATHEMATI-  
 CIS, linguae GALLICAE, et ITALICAE, notitia, arte musica,  
 saltandi, litterasque pingendi, scientia, iuuenes, discendi cupidos,  
 statis temporibus imbuerent. Quum anno 10ccxxviii AFRA-  
 NEVM illustrē nouam uelut faciem indueret, et lectionum ordo,  
 ac ratio, penitus immutaretur, noua suppeditabatur PARENTI ma-  
 teria, ita se commendandi PROCERIBVS, ut non uulgaribus fidu-  
 ciae eorum documentis frueretur.

Sed non tantum SVMMIS PROCERIBVS, uerum etiam  
 aliis uiris grauib⁹, PARENTIS innotescerat fides. Quare illi  
 spartae aliquoties offerebantur fructuosiores, quarum tamen curato-  
 res id non poterant a SVMMIS impetrare PROCERIBVS, ut  
 sibi, suis eum scholis praeficere, liceret. Quum etiam PATER  
 CARISSIMVS, memor eius, quod per leges scholasticas praec-  
 ceptori liceret, post sex annos honoratius sacerdotium petere, ali-  
 quando de tali consilio OPTIMATES consulueret, hoc responsum  
 ferebat, quod PROCERIBVS gratius esset facturus, si soli scho-  
 lae illustri suas vires destinaret, et ab ipsis praemia huius destinatio-  
 nis suo tempore exspectaret (o).

Anno 10ccxxx decedebat vir de MARTISBURGENSI  
 schola insigniter meritus, M. ERDMANN VHSE. Quum igi-  
 tur

(o) Ipsa uerba summi quondam in re publica viri tum haec erant: Nachdem man auf Dero Person, wegen gründlicher Erudition, rühmlichen Fleißes, und anderer einem Schulmannie gehörigen Qualitäten, besonders zu Verbehaftung in dergleichen Functionen die Reflexion gemacht: Als wollte vielmehr anrathen, von dem gefassten Versatz abzustehen, dagegen ich bey ereignender Gelegenheit nie-  
 mahl's ermangeln werde, Dero Station bestmöglichst zu verbessern.

tur ea vice curiae illius sacrae patres conscripti noui creandi rectoris curam haberent, obtigit, ut omnes in PARENTEM, tale non sentientem, multo minus molientem, ad hoc munus euocandum, consentirent. Perferebantur ergo praeter exspectationem litterae, quae hoc tantorum uirorum decretum PARENTI significabant. Multae erant, ne quid dissimulem, caussae, hanc euocationem circumstantes, quae PARENTI MARTISBVRGVM abeundi consilium tam gratum, acceptumque, reddebat, ut, eo capto, a sancto, penes quem scholarum illustrium arbitrium est, senatu discedendi ueniam, ea, qua par est, reuerentia peteret. Verum enim uero, exspectatae ueniae loco, DRESDAM euocabatur, ut de illo negotio cum ipso coram ageretur. Quo quum uenisset, inueniebat praeter exspectationem PROCERVM animos studio, ipsum a consilio capto reuocandi, intentos. Agnoscebant in euocatione hac diuinae notas prouidentiae, perspiciebant oblati munera dignationem, et commoda, nec indignum illis censebant PARENTEM. Sed, quum, uti tum loqui, et scribere, amabant, scholae interesset, eum suam operam illi amplius dicare, monebant ipsum, recordari, non minus esse diuinae prouidentiae documentum, a PROCERIBVS honestis conditionibus retineri. Post duorum fere mensium consultationem res eo deducta est, ut PARENTI annuorum reddituum accessio, aliquot modiorum farris quotannis suppeditatio, et successio in munus rectoris AFRANEI illustris, decerneretur, haecque decreta, litteris consignata, ipsi exhiberentur. Poterat autem ille muneri rectoris sine ullius offensione ideo destinari, quod illius temporis Rector, celeberrimus MARTIVS, scholastico muneri munus quoddam Academicum iam antea paeoptauerat, clarissimus SILLIGIVS autem, senio proximus, rude potius donandus, quam munere rectoris gratiandus, uidebatur. Quibus rebus ita compositis, pristinum munus obiit usque ad VII Idus Novembris, 1535, quo doctissimo MARTIO, ad VITEMBERGAM ornandam euocato, successor dabatur, postquam illustris schola eo interea bis usa esset oratore, et interprete suorum tum uotorum, tum luctus, anno nimis 1536, quo me-

moriam saecularem exhibitae AVGUSTAE VINDELICO-RVM doctrinae publicae formulae celebrabat, et 1000 CCXXXIV, quo obierat PATER PATRIAE CLEMENTISSIMVS, AVGUSTVS II. Dixit enim priori occasione de commodis, quae in bonas omnis generis litteras ex promulgata doctrinae publicae formula redendarunt, posteriori, de AVGUSTO II, nulli unquam POLONI-CORVM regum, ducumque, et magnificientia, et munificentia, secundo.

Clarissimus interea SILLIGIUS senectutis molestias cooperat persentiscere. Praestabant se igitur PROCERES eius de schola meritorum tam memores, ut ei eodem tempore quietem a laboribus scholasticis mites concederent, PATRI autem CARISSIMO duo nouos laborum socios, ingenio, uiribusque, florentes, clarissimos uiros, M. IOANNEM GODOFREDVM HOERIVM, et M. CHRISTIANVM FRIDERICVM WEISIVM, quorum ille scholae FRANCKENHVSANAЕ antea praefuerat, hic autem Correctoris munis in FRANCISCANE MISENENSI cum laude functus erat, adiungenter.

PATER itaque, nouo muneri admotus, scholae ita regendae dabant operam, ut coleretur a discipulis, amaretur a collegis, patrocinio dignus iudicaretur a proceribus. Nec irritam in hoc operam posuit. Inter initamenta enim ad rite administrandum munus iure meo beatissimae memoriae uiri, BERNARDI GVALTHERI MARPERGERI, litteras refero, quas sub auspicio noui munieris ad PATREM dedit, huius quidem argumenti: *Totus in aere tuo sum, tibique multis nominibus deuinctus. Sub auspicio anni, quod tibi auspicatissimum precor, te mei memorem, mihiq; mirum quantum fauensem, uersibus elegantissimis, amantissimisque uotis, declarasti. Addebas Programma, exquisita eruditione refertum, tersoque stilo elaboratum, quod mibi exceptatissimum fuit. Acus quoque oratorius magnam mihi attulit laetitiam. Macte, uir praestantissime, egregia tua uirtute, et, quo coepisti, tramite feliciter perge! Spondeo egregiis tuis conatus diuinam gratiam, fauoremque superiorum non unquam deficientem.*

Ni-

Nihil, quod mearum erit partium ac uirium, intermitiam, ut res uestras  
iuuen, atque ornam. In primis tibi, uir praestantissime, tuisque omni-  
bus, si qua ratione prodesse ac inseruire possim, omnem nauabo operam,  
sincerique animi assiduum probabo studium, ac desiderium! Vale, et  
ex uoto rem omnem age feliciter!

Quam igitur exspectationem ut expleret, ea, quae ex usu  
scholae futura uidebantur, consentientibus OPTIMATIBVS, or-  
dinabat, eamque, cum collegis, fidem, et industriam, exhibebat,  
ut, quum anno **1540** uir clarissimus, IOANNES  
EDELREICH, Professor Philosophiae Theoreticae in academia LVN-  
DINENSI in SCANIA, ab AVGUSTISSIMO SVECO-  
RVM REGE missus, ut peragraret EVROPAM, sollicite inui-  
seret scholas, et, in SVECIAM redux, auctor fieret rei illius  
scholasticae ad exemplum celeberrimorum EVROPAE lyceorum  
corrigendae, OPTIMATIBVS DRESDENSIBVS itineris caus-  
sam indicasset, et consilium, demandati sibi a REGE suo nego-  
tii optime, atque breuissimis, administrandi, petiisset, MISENAM  
proficiisci iuberetur, illustris AFRANEI statum cognoscere, et  
tum confidere, quod optimam ingeniorum adolescentium fingendo-  
rum rationem accepert.

Non sine summa oblectatione animi, munus suum in annum  
**1541** incidere, uidebat SVAVISSIMVS PARENTS,  
quo ante ducentos annos illustris schola auspiciis, consiliisque, felicissi-  
mae memoriae PRINCIPIS, MAVRITII, aperta erat. Petebat ergo  
a PROCERIBVS ueniam, SACRVM SAECVLARE SE-  
CVNDVM ILLVSTRIS MISENENSIS SCHOLAE per  
triduum celebrandi, petitamque impetravit. His sollemnibus dies v,  
III, et III, *Nonas Julias* dicabantur. Primo die, peracto sacro sol-  
lemnii in templo AFRANO, PATER uotum saeculare in acroa-  
terio scholae maiori DEO persoluebat. Sequentibus diebus et cla-  
rissimi uiri, HOERIVS, atque WEISIVS, et quatuordecim di-  
scipuli, tum disceptando, tum GERMANICE, LATINE, GRAE-

D 3

CE,

**C**E, HEBRAICE, et GALLICE, partim prorsa, partim ligata, oratione, dicendo, saecularis beneficii memoriam recolebant.

Sed o quantis curis tum angebatur **DESIDERATISSIMVS PARENTS**, quum MISENA anno 1535 infesto PRVSSORVM exercitu peteretur. Consuluerat, appropinquante periculo, **PROCERES**, qui totum discipulorum coetum non dimittendum, nulli tamen eorum, quorum parentes eam poscerent, ad suos recipiendi ueniam denegandam, censuerant. Quam ob rem ex nouem mensarum conuictoribus tot restiterant, quot sex mensas replerent. Duo autem PRVSSORVM exercitus MISENAM petebant, quorum alter ab ipso REGE, alter a PRINCIPE ANHALTINO DESSAVIENSI, ducebatur. Prior appropinquabat exercitus REGIS, cum cuius agmine praecursorio praefectus militum, LEWALDVS, VI Iduum Decembris, in uicinis ponti montibus castra posuerat, qui, sequenti die, more militari, urbis deditioinem, rescissi pontis restitutionem, tributumque, praesidio, et ciuibus, imperabat. Quum autem nihil horum fieret, a meridie machinis ignitorum terrebantur incolae, eo forsan consilio, ut perterriti ciues pontem eo citius reficerent, quod alius eiusmodi conatuum usus in loco, neutiquam munito, nullus esse uidebatur. Sed tum tormentorum SAXONICORVM, in aduerso monte positionum, uis, tum ipsorum PRVSSORVM, et plurium tormentorum, et totius subsequentis exercitus, expectatio, efficiebat, ut hostes non ita multo post consilio hoc abstinerent. Laeserant tamen uarias domus, et in illis aliquot illustri schole, aedibusque PARENTIS, uicinas, coniecti globi, metusque fuerat perpetuus, ne incendio urbs conflagraret, cuius hinc cito extingueri etiam in illustri schola opportuni siebant apparatus. Sequentibus duobus diebus solo ponte a MISENENSIBVS sciuncii PRVSSI, pluribus copiis confirmati, appropinquantem alterum exercitum expectare uidebantur, interea tamen plures, prioribusque multo maiores, belli machinas conspicendas collocauerant, quae exitium urbi minitabantur, si forte alteri exercitui prius, quam MISENAM intraret, aliquid aduersi in conuallibus accideret. Sed, quum *pridie Idus*

De

*Decembres copiae, quibus PRINCEPS ANHALTINO-DES-  
SAVIENSIS praeerat, ex illa parte appropinquassent oppido, qua  
nec flumine, nec uallis, defenditur, praesidiumque urbis, ea relicta,  
ad exercitum SAXONICVM redire iussum esset, patuit illi PRIN-  
CIPI urbs, quem eius ditionem per tubicinem poposcisset. Oc-  
currit ergo illi quoque PATER cum collegis, retulitque ab illo mi-  
tissimum hoc responsum: *Se indulturum esse illustri scholae easdem im-  
munitates, quibus academia gauderet LIPSIENSIS.* Occupabatur  
autem urbs a triginta quatuor PRVSSORVM millibus. Quare  
milites, in singulis domibus collocati, non ex capitibus, sed ex centu-  
riis, aestimandi erant. In schola tamen illustri, domibusque collega-  
rum, nulli milites collocati sunt, quamdui PRINCEPS ille AN-  
HALTINO-DESSAVIENSIS in urbe fuit. Die xviii Calen-  
das Ianuarias, quo prope KESSELSDORFFIVM pugnabatur, ipse  
REX PRVSSORVM cum exercitu urbem intrabat. PATER er-  
go, cum collegis, ad eum quoque illis ipsis horis supplex accessit,  
quibus praelium ad KESSELSDORFFIVM committi coepe-  
rat. Qui quum uultu, tantarum curarum indice, eum audituisset, mi-  
tioribus uerbis *securum eum esse iussit ab omni metu, certumque huius  
uoluntatis suae, toti exercitui significatae.* Post cruentissimam autem  
illam uictoriam, tot uulneratis deportatis MISENAM, ut deficerent  
domicilia, quibus hiemali isto tempore commode curari possent, tam  
in illustrem scholam, quam in domos collegarum, PRVSSI defere-  
bantur sauci. At, pace non ita multo post composita, se curatueros  
esse, promiserant PRVSSI, ut schola illustris, domusque collega-  
rum, priores reliquis ab aegrotis uacuae redderentur. Quum uero  
illi, qui deportandorum horum aegrotorum, et conualescentium, cu-  
ram habebant, non huius solum pollicitationis immemores essent,  
sed etiam aliquis eorum uariis rationibus PARENTEM turbaret,  
iussa, BEROLINO allata, hunc turbulentum denique compescue-  
runt, fidemque liberare imperarunt, ut igitur bellicarum molestia-  
rum sensus ab eo tempore, et in illustri schola, et in magistrorum  
domiciliis, sensim sensimque cessaret. Quae quidem ideo commemo-  
ro, ut pateat, nec bellici tumultus pericula PARENTEM curae scho-  
lae*

lae illustris, demandarique muneris, immemorem, ac negligentem, reddisse, nec eum recusasse, fidae officii sui administrationis caussa iniurias subire immeritas.

At o quantopere gaudebat, quum, illustri restitura schola in integrum, laboribus suis imperturbatus rursus uacare, saluti tot bonae notae iuuenum pristino more, atque successu, inuigilare, sociis curis, et studiis, collegarum, sibi coniunctissimorum, uti, et eorum fauore, discipulorumque obsequio, et amore, perfrui, posset! Quotidianis enim, iisque ardentissimis, precibus supremum, quod omnia regit, numen uenerabatur, ut reliquum uitiae tempus, remoto omni bellorum, turbarumque aliarum, strepitu, pacate transigere, senectutemque, nec auctoritate, nec amore, nec uiribus, carentem, agere, sibi contingenteret. Nec irritae illae fuerunt preces, sed iis, quae exoptauerat, usus est ad illud usque tempus, quo post tot labores, curasque, beata mors otia illi fecit dulcissima.

Quum multa illorum, quae uitam hominis de schola iucundam, honoratamque, reddunt, in eius uiribus posuerit diuina prouidentia, ut ille certe ex parte fortunae suae artifex existimari possit, erunt forte, qui haud grauati legent, quam rationem potiusdorum, quibus gauisus est, commodorum PATER OPTIMVS inierit. Exposuit autem eam ille ipse in ea, qua munus rectoris scholae auspicatus est, oratione *de uis, quibus commode parari possit a doctore scholastico auctoritas.* Tradidit in ea, ut ipsius uerbis utar, *non ex aliorum ingenio, ac scriptis, deponita, sed quae uiginti sex annorum experientia, suaque ipsius sedula meditatione, edocitus erat.* Putat scilicet laudatam auctoritatem in reuerentia, et amore, positam, illamque actae prioris uitae innocentia, eruditio[n]is opinione, merito PROCERVM applausu, moribus sanctis, et grauibus, ac fide, hunc autem, non familiaritate nimia, sed docendi facultate, cupiditate, et assiduitate, abstinentia a lucro, et puniendi prudentia, niti, pluribus ostendit, tandemque addit: *Vnde uiginti ami sunt, ex quo coeui, qui REGIA MVNIFICENTIA bic alitur, bonis litteris instituendo nauau operam, nec, quod sciām, inuentus in*

*in eo quisquam est, qui ausus unquam sit, mibi uel obsequium denegare, uel,  
quam debuit, reuerentiam.*

Memoratur in his etiam docendi facultas, quae sane illa facultas  
est, quam in doctore scholastico etiam illi requirunt, qui reliquias aequae non curant. Nec ea caruisse PARENTEM, tot loquuntur discipuli, tot ad eam rationem a praceptoribus suis instructi iuuenes, quam litteris consignare, parentum precibus adductus est. Scilicet in rudimentis linguarum occupatus monebat, magis frequenter repetendo satis explicata, et in quaestiunculas, satis claras, resoluta, exercere ingenia, quam priuato puerorum studio relinquere, ea, quae ignorari non debent, memoriae mandare, ne molestia, minus necessaria, illis crearetur, et magis ostentationi intempestiuae, quam uerae utilitati, ingeniique uirium culturae, consuleretur. In responsionibus ergo eorum, quorum ingenia aut formabat, aut explorabat, adolescentium magis rationum propriis uerbis expositionem, quam uerborum Grammaticorum promtam recitationem, spectabat, uel certe hanc non urgebat. In subsidium ueluti a dissentibus in una, eademque, re uocandas censebat, tam plures mentis facultates, quam plures sentiendi uires, e mentis facultatibus ingenium, et iudicium, ne haec serius memoria exercerentur, ac maturescerent, e sentiendi uiribus uisum, ut transscriptis illis, quae memoriae tradenda sunt, uisus, cum auditu coniunctus, eo efficacior esset ad subleuandam propositarum rerum perceptionem. In primis praceptorum percipiendorum usum cum ipsa eorum perceptione ita coniungendum existimabat, ut adolescentes non audirent solum extemporalis praceptorum accommodationes, sed etiam formulas calamo exciperent, quae, tradita proprio accommodandi Marre, materiam ipsis praeberent. Quum etiam quisque doctor adolescentium suorum ingenia omnium optime nosset, haec autem quam maxime different, nec minus diuersa esset docentium docendi ratio, multo consultius agere magistrum, arbitrabatur, si ipse eiusmodi formulas excogitaret, quam si ex aliom libris eas proponeret. Saltim his ipse nunquam usus est. Ediscere adolescentes uocabula, consilio collecta, ac edita, non quidem plane dissuadebar, id tamen

E

mul.

multo utilius, feliciusque, fieri, autumabat, si idem, ductu classicorum auctorum, hoc modo institueretur, ut explicandorum capitum uocescum cura notarentur, notataeque memoriae mandarentur, quod tunc ipse nexus ita prodesset dissentibus, ut eorum memoria, ueluti ingenii, iudiciique, uiribus fulta, cum uocabulis ipsam ea ordinandi, et coniungendi, rationem perciperet. Auctores classicos ita explicabat, ut uocum origines, et innatam ueluti significationem, cum cura rimaretur, secundarias a prima deduceret, illam, quae cuiusque loci esset, ex nexu rerum, atque uerborum, itemque usu, et consuetudine, loquendi eiusdem auctoris, probaret, his interpretationem accuratam eorum, quibus ex antiquitate, et historia, lux affundenda erat, adiungeret, formulas loquendi elegantiores, et significantiores, notaret, denique etiam imitandi argumentum suppeditaret, et uel ipse praeciret explicati pensi uersionem, uel eam, a discipulis exhibitam, emendaret. Quin, ut breuibus me expediam, animaduerti in eius docendi ratione eorum pleraque, quae uir clarissimus, IOANNES IACOBVS WIPPELIVS, de BEROLINENSIVM re scholastica optime merens, DESIDERATISSIMO QVE PARENTI, et fama, et scriptis, et litterarum commercio, satis cognitus, docte, et argute, in commentatione *de arte interpretandi in scholis* (p), tradidit. Stili exercitia, siue ad ductum cuiusdam auctoris classici essent composita, siue liberiori Minerua exarata, ipse perlustrabat, manu sua delenda delebat, addenda addebat, emendanda emendabat, et haec omnia tanta cura peragebat, ut non praceptorum tantum Grammaticorum, sed et in primis genii, quem uocant, linguarum rationem haberet, et sic suos doceret non LATINA solum, et GRAECA, sed etiam LATINE, GRAECE que, scribere. Quod ad disciplinas philosophicas spectabat, in nullius philosophi uerba iurasse, uideri cupiebat. Quare, quae uerissima, quae utilissima, quae innocentissima, cognouerat, suis tradebat uerbis, eo tamen effectu, ut qui

(p) Exstat haec commentatio in Christian Ernst Simonetti Sammlung vermischter Beiträge zum Dienste der Wahrheit, Vernunft, Freiheit und Religion, und dessen zweiten Stufe auf das Jahr 1749. p. 239 - 320.

qui discipulos eius publicis disceptationibus ingenium exercere audiebant, eos nec senioris philosophiae praceptorum expertes esse, inteligerent. Reliquarum disciplinarum notitia ita imbuebat suos, ut ex innumeris fere testibus quaerere liceat, an ipsum earum peritia, beneque tradendi facultas, defuerit. Quod si autem illius discipuli partium studii nomine cuidam uideantur suspecti, ille audiat uirum, eiusmodi studioram perspicacissimum existimatorem, celeberrimum IOANNEM GVILELMVM BERGERVM, cuius exstant huius argumenti ad CARISSIMVM PARENTEM litterae: *Quas tibi, THEOPHILE, landes nuper impertii, eas non mihi, sed uiruiti tuae, debes. Omnino bene mereris de litteris, quarum dignitatem asseris, bene de ingenii, quae cultu perpolis exquisito. Odisti enim profanum uulgaris et arces, quod, uerae ignarum elegantiae, Musarum sacra chartis illepidis contaminat, nec aliud docendi genus nouum, quam corruptum affert. Veteres sequeris, veteres exprimis, veteres commendas, ea que re fontes aperis, quos GRAECIA, LATIVM QVE purissimos habet, quos sapientissimus quisque semper adiit, et AFRA praecipue uestra sine labe inter tot saeculi corruptelas seruauit.*

Quod de poëtis dici solet, eos non fieri, sed nasci, id etiam doctoribus scholasticis accommodare ausim. Certe in CARISSIMO PARENTE omnes, et animi, et corporis, dotes in id quam amicissime conspirasse uidebantur, ut doctorem scholasticum insignem efficerent. Primo enim praeditus erat auditu, uisuque, quam acerimo, dotibus, quae homini de schola in suo administrando munere tantopere prosunt, quantopere earum defectu abuti solet multorum adolescentium proteruitas. Deinde excellebat memoria. Huius enim beneficio, quicquid uel semel audiebat, aut legebat, quam facillime percipiebat, fidelerique retinebat. Hinc frustra apud eum quae sibi sunt commentarii eiusmodi, in quos lecta, et audita, certo ordine retulerit. Nec tamen scripta eius erant sterilia assiduae lectio-  
nis testimoniorum. Eadem de caussa ille omnibus scientiis quam felicissime operam dederat, in quibus uim suam exerit memoria. Erat ergo non leuiter imbutus notitia linguarum, GERMANICAE,

LATINAE, GRAECAE, HEBRAICAE, CHALDAICAE,  
 SYRIACAE, ARABICAE, RABBINICAE, et GALLICAE,  
 historiae fere omnis generis, sacrae, profanae, regnorum et populo-  
 rum, principum, familiarum, dignitatum, insignium, humorum, ri-  
 tuum, morumque, gentium, litteratorum, et literaturae. Quare  
 etiam PROCERES, has scientias discipulos docere, eum iubebant,  
 quum ~~100~~ CCCXXVIII ratio tradendorum in illustri AFRANEO  
 immutaretur. Quin eum iam antea solum bibliothecae AFRANAE  
 praefecerant, quum olim eius curam collegae omnes per uices habui-  
 sent. Ingenii eius acumen elucebat tum ex mira facilitate pangendi  
 uersus, non imminuta senio, e quibus potissimum LATINI  
 multi eiusmodi studiorum prudentes existimatores suum adiecerunt  
 calculum, tum ex rationibus, non semper iisdem, omnibus tamen  
 tempori, et ingenii discentium, conuenientissimis, quas inter do-  
 cendum inibat, ad excitandos iuuenum animos, et subleuandam tra-  
 dendorum perceptionem, tum ex salibus, quibus permulti eius audi-  
 torum, modo reprehensos, modo excitatos, se adhuc meminerunt.  
 Iudicii tum probauit, et illa prudenter scholastica, qua PROCERI-  
 BVS tantopere se commendauit, discipulorum autem amorem sibi  
 conciliauit, et ea solertia, qua tam discenda suis tradidit, quam com-  
 mentariolos suos perscripsit. DEVVM colebat quam religiosissime,  
 tum publice, tum priuatim. Si a DIVINI SPIRITVS gratia re-  
 cedamus, debebat tale pietatis in DEVVM studium curae, et exem-  
 plo, piorum parentum, non uulgari rerum sacrarum, atque diuinorum,  
 cognitioni, cui e augendae, et confirmandae, singulis diebus,  
 maxime autem diebus solis, et festis, tempus quoddam impendebat,  
 et tot singularibus diuinae prouidentiae documentis. Tam reuerens  
 erat summi numinis, ut nihil sibi honori duceret, nisi quod cum eius  
 cultu, et iussibus, esset quam coniunctissimum. Quamuis autem  
 nunquam esset captator laudum, erat tamen illius omnis nunquam  
 non studiosissimus, quod ueris laudibus dignum iudicandum est. Fi-  
 dem ergo sancte colebat, ut certe recti gauderet conscientia, si forsan  
 essent, qui recte facta inique carperent. Solertia eius spectata est in  
 indefessa, et accurata, horarum, institutioni destinatarum, obserua-  
 ne,

ne, in cauta omnis eius, quod scholae illustri aut emolumentum, aut detrimentum, afferre posset, animaduersione, in promta, atque tempestiuia, reliquarum, quas ipsi muneris ratio iniungebat, rerum expeditione, in animo semper parato, neglecto omni lucro, priuatis horis, ea, quorum aliqui discentium cupidi erant, tradendi, et in litterarum commercio admodum operoso. Id tamen dolui, hoc litterarum commercium, quod ei cum innumeris fere cuiusque ordinis uiris intercessit (q), maximam partem munia rectoris AFRANEI illustris,

E 3

nec

(q) Liceat mihi ad litteras SVMMI in re publica VIRI, parentis fortunae statoris primarii, quem, omni felicitatis genere affluenter, diu seruet patriae diuina prouidentia! et propensissimi in patrem animi, et elegantiorum studiorum insignis peritiae, testes certissimas, iam prouocare, quae, VII Idus Ianuarias.  $\infty$  15CCXXXV datae, pastorales cantus sequenti modo imitantur:

Ließ mir mein Hirten-Amt nur etwas mehrers Zeit,  
Und brauchte mich nur Pan nicht sonst noch hin und wieder,  
Renbarge, glaube mir, du soltest vor die Lieder,  
Die Du voll Melodey und voll Annehmlichkeit  
Zu meinem Ruhme singst, aus Dank für solche Gaben,  
Auch wiederum ein Lied von mir zu hören haben.  
So aber denk ich jetzt an meine Süste nicht.  
Sie liegt, ich weiß nicht wo, vertrocknet und zerpalten,  
Dram wirst Du hoffentlich mir wohl zu gute halten,  
Da mir es an der Zeit vor diesermal gebracht,  
Wenn ich Dir überhaupt nur so viel wieder schreibe,  
Dass Du mir lieb und werth, und ich Dein Freund verbleibe.  
Nimm Dich nur fernerhin der Schaaf und Lämmer an,  
Und führe sie getrost auf frische grüne Weyde,  
Streu in die lecken Sals, und fahre Treß dem Neide  
Mit Deiner Treue fort, wie Du bisher gehan;  
So wird die Heerde sich des guten Hirten freuen,  
Und Dich wird niemahls nicht die Müh und Arbeit reuen.

Es

XXXVIII

nec ipsam litteraturam, spectasse, quum alioqui plura litterarum, a  
summis, et doctissimis, uiris perscriptarum, uplumina edere posse-  
mus. Quas autem pietatis ergo ad PROCERES dabat litteras, eas  
quam frequentissime certis adstringere numeris solebat, siquidem ulti-  
ma eius ad immortalis nominis uirum, VALENTINVM ERNE-  
STVM LOESCHERVM, haec fuit epistola:

*Qui dena felix lustra senex sacri  
Cum laude gesti muneris, OPTIME  
LOESCHERE, nuper condidisti,  
Quid siluit tua, quaeris, AFRA?  
Non illa NVMOS, non APOCRISIOS,  
MAIVS MINISTRI non MERITVM SENIS,  
Non LITTERARVM PRISCA FATA,  
Non SENII DECVS ATQVE HONOREM,  
Non FOEDA LECTI VINCLA SQRORII,  
Non nauigantis CARMEN APOSTOLI,  
MVLTIS nec ORNATVM, fatemur,  
DOTIBVS exhibuit MINISTRVM.*

*Ab!*

Es kan Dir zwar daben nicht stets nach Wunsche gehn,  
Verdrüß und Aergermüs pflegt selten auszubleiben,  
Wenn man was müßliches mit Ernsté sucht zu treiben.  
Der Meider blöckt den Zahn, der Faule kans nicht sehn,  
Man ißt den Bißen Brod bei vielen sauren Schweiße,  
Und spürrt Verhinderung auf die und jene Weise.  
Doch stellst sich gewiß zuletzt der Lohn noch ein.  
Man findet weißes Brod und Braten in der Tasche,  
Mops springt um uns herum, und in die frische Flasche  
Füllt man an Wassers statt den reinen hellen Wein.  
Wer weiß wie bald es sich vor Dich auch also füget?  
Renbarge, lebe wohl, gesund, beglückt, vergnüget!

*Ab! uocis AFRAM suppuduit suae,  
 Ne raucus ipsis anser oloribus  
 Certaret argutis, uerentem,  
 Seque suo pede metientem.  
 At uota pro TE non minus abdita  
 Persoluit imis in penetralibus,  
 Gratesque IOVAE, ne canentem  
 Luderet atra Michal cauillis.  
 Et nunc sub anni principium, bonis  
 Interminatis TE ut cumulet DEVIS,  
 Vt par TVVM, supplex precatur,  
 Sit senium senio MOYSIS!*

Tam lubens autem uacabat litteris, potissimum ad sanguine, et  
 amicitia, sibi coniunctos, perscribendis, ut, earum scriptiōnem ob-  
 lectamentorum eius primarium, uel potius unicum, uocare, uix dubit-  
 em. Iurium quidem sui muneris negligens tam parum erat, ut potius  
 eorum asserendorum curam sibi demandatam putaret, sed, ut illud eo,  
 qui minime omnium offenderet, modo fieret, operam dabat.  
 Quam saepe uidimus eum fortuna secunda ita usum, ut eius uicissitu-  
 dinis simul recordaretur, sic contra aduersa, ut illud HORATIA-  
 NVM recoleret:

*Non, si male nunc, et olim  
 Sic erit (r)!*

Non poterant non in suo uitae genere illi interdum ea obtингere,  
 quibus animus eius solito uehementius concitatatur. Sed uix unquam  
 eum una hora diutius uidimus perturbatum. Adeo motuum animi  
 aestus temperare callebat. Quod quidem de opera, in coercendis ab  
 eo posita affectibus, tanto magis testatur, quanto infrequentius idem  
 in

(r) *L. II. Ode X. u. 17, sequ.*

## XXXX

in aliis eiusdem indolis hominibus deprehenditur. Ab omni lucri cupidine tam erat alienus, ut eius adeo suspicionem hominis de schola auctoritati maxime inimicam putaret, et hinc existimaret satius, praemissis, quam gloria, industriae destitui. Ceterum uersabatur cum patrōnis reuerenter, cum amicis amice, cum discipulis se, illisque, digne, cum bonis bene, cum omnibus humaniter, ut, si non semper eorum uotis, suo certe officio, satisfaceret. Habebat uultum animi indicem, non supercilium censorium, non frontem minis caperatam, sed, quoties cum aliquo suorum, aut amicorum, aut discipulorum, coram agebat, iure suo poterat CICERONIS ad ANTONIVM uerbis (s) uti: *Non ex oratione solum, sed etiam ex uultu, et oculis, et fronte, meum erga te amorem perspicere potes.* Effigiem PATRIS in aes incidi, curabat pro sua in PARENTEM benevolentia clarissimus uir, M. IOANNES GOTTLIEB BIDERMANVS, ut eam ACTIS suis SCHOLASTICIS insereret, quum cita mors eum tollereret, cui uiuo, si licuisset, hoc amicitiae documentum destinatum erat, quod quam honorificentissimum reddere studuit summe uenerabilis praesul, D. CHRISTIANVS FRIDERICVS WILSCHIVS, cuius senium, domumque, fortunet iustissimus ille uirtutis praemiorum diribitor! subscripto sequenti fauoris sui testimonio:

*Ingenium, probitas, methodus, doctrina, fidesque,  
Vno in GRABNERO consociata nitent.*

Valetudine admodum tenui inde a iuuentute usus est PARENTS CARISSIMVS, et iam supra morbos quosdam grauiores membrauui, quibus in prima aetate, et in Academia, fere confectus est. Quum FREIBERGAE doceret, malo illo, eruditis paene omnibus communi, ita affectus est, ut recuperandae sanitatis exigua spes superesset. Haec tamen thermarum CAROLINARVM usu tandem reuocata est. At ipsa eius ualetudo sub annum demum quadragesimum ita firmari coepit, ut deinceps multo rectius ualeret. Hoc autem

mo-

(s) *Ad ATTICVM L. XLI. Epist. XIII.*

modo sui corporis rationi consulebat, ut cibo saepe nullo, semper autem ad concoquendum facillimo, potu salubriori, et ueluti demenso, uino rarius, et parce, uteretur, stans ad pulpitum et legeret, et scriberet, post prandium aut deambularet, aut quartam horae partem dormire, lucubrationibus, quantum posset, abstineret, somnoque, quae DEI gratia erat, plerumque imperturbato, et quieto, refectus summo mane ad labores rediret. Sed aliquot annos ante grauissimo lapsu malum illud contraxit, quod certe sociam suae mortis caussam aliquando fore, proh dolor! uere augurabatur.

Scilicet apparabantur nuptiae secundae natu filiae, post paucos dies celebranda, quum PATER CARISSIMVS subito inciperet aegrotare ex dolore pulmonum. Post aliquot dies febrilis impetus inualescebat, dolorique in pulmonibus aucto aliis accedebat dolor in imi uentris latere, doloribus tussis asperrima, quam expuictio sanguinis, et tabi, summa uirium defectio, et anhelitus sonantior, sequebantur, signa inflammationis pulmonum, morbi, eo minus sanandi, quo infirmius tanto repugnabant malo prouectior PARENTIS actas, et laesa lapsu uiscera. Cognito igitur isto uitae periculo, promtissimum, paratisimumque, ad decedendum ex hac uita animum PATER significabat, id unicum precatus DEVM, *ut etiam ultima passuro ita succurreret, ne moribundus desineret esse suis exemplo!* Colloquebatur, quantum per uim morbi licebat, cum suis quam amantissime. DEVM aduocabat testem studii sui, ipsi reuerentia, atque fiducia, placendi, auxiliumque eius in rebus dubiis, et grauibus, sibi piis precibus conciliandi, rerumque omnium euentus eius soli arbitrio permittendi, et DIVINAE gloriae suam, publicoque commodo priuatum, postponendi. Venerabatur singularem DEI proutidentiam, qua per totam uitam, et in primis in munerum, praeter exspectationem demandatorum, administratione, ita usus esset, ut nec optato successu, nec gratia PROCERVM, nec dignitate, fideique praemiis, caruerit. Asseuerabat, se DEI reuerentiam, fiduciamque, in eius misericordia positam, nunquam depositurum, sed moribundum quoque confisurum, esse, sibi, diuini illius reconciliatoris meriti, et deprecatio-

F

nis,

nis, caussa, ad beatissimas illas sedes aditum non denegatum iri, quamuis se labe omni minime absoluere. Vale dicebat dilectissimae coniugi, multis uerbis eius fidem, amorem, ultimamque in morbo curam, praedicando, ei spem diuinæ consolationis, ac prouidentiae, certissimam faciendo, annulumque pronubum, digito detractum, reddendo. Liberis perpetuum usum gratiae DEI-PATRIS, solatii SPIRITVS DIVINI, totiusque meriti CHRISTI, appreocabatur, eos, ut se reuerentes, amantesque, DEI nunquam non exhiberent, monebat, liberos matri, matrem liberis, quam grauissime commendabat, omnesque certos esse iubebat, ne numulum quidem, iniquo modo partum, hereditate ad suos redditurum, quin, se, ad ultimum usque spiritum, suis, et in hac, et in uentura, uita uere profutura, a DEO expetitum esse, confirmabat, et denique addebat: *Nolite, o mei, me extinxitum dolere, sed id potius date parenti, in cuius sepulcro multum doloris, ac miseriae, conditur, ut, quietis, qua mortuus potiar, memores, concinatis: Laudate nunc omnes DEVVM animo, ore, manibusque sublati!* Ceteroqui uiderunt eum sui quam saepissime sublati manibus, sed tacite, precibus DEVVM uenerari. Quum tunc præsens filius per totam noctem ad lectum eius uigilasset, aegrotantemque subleuasset, eum pii filii officio rite functum esse, testatus est, hac adiecta promissione: *Nec te, egentem ope, DEV'S deseret, quum, ope tua indigeni patri eam lubenter, fideliterque, atruleris.* Ultimo uirae suae die absentes liberos missis nunciis conuocari, patiebatur, quiue adueniebant, hos quam benignissime excipiebat. Quum eodem die litteris certior fieret, a PROCERIBVS filium natu minimum DIACONVM FRAVENSTEINENSIVM designatum esse, et ex eo quaereretur: An non de hoc nuncio gauderet? respondebat: *Si iam ita se habere, ut amplius nulla humana re illo modo afficeretur.* Si quid solatii ergo a sacerdotibus, aut ab aliis, proponebatur, ei annuebat, eiusque tam certum se esse, confitebatur, ut illud esset morte sua confirmaturus. Ipse dicitur ea uerba, quibus inter sacra publica sui memoriam precantibus commendari, cupiebat. Amicos accedentes ualere iubebat quam humanissime. Medicina utebatur dicto tempore, ac modo, tum quoque, quum, mortem instare, nullus du-

bitaret, ut, quae uerba eius erant, *recti conscientiae consuleret*, et tan-tum ultimis aliquot uitae horis ita iudicabat: *Tardant modo medicamina, nil proficiens, mortem.* Ut commodius decumberet, corpori eius, qui-bus constrictum erat, linta demebantur, eiusque uox haec erat: *Soluite uincia!* Ultima uice e lecto suo deportatus praenunciabat, *ea opera amplius opus non fore.* Tandem appropinquabat ultimum uitae momen-tum. Scilicet anhelare incipiebat multo sonantius, et, quum, quae sibi euenerent, sentirer, loqui autem non ualeret, singulis, qui lecto eius adstabant, manum, ueluti in discessu signum, porrigebat. Quo facto, complicatis manibus, compressisque oculis, iterata nutatione capitis, inter preces, et lacrimas, suorum, spiritum reddebat DEO placide, *XVII Calendas Maias, 1810 CCCL*, sub horam secundam ma-tutinam, eodem die, quo ante tringita sex annos primo coniugis puer-perio familie suaue uiderat primordia, septimoque ante illum die, qui nuptiis secundae filiae ab ipso destinatus erat, natus annos *LXIIII*, menses *V*, dies *XII*.

Perscriperat iam dudum D E S I D E R A T I S S I M V S P A-R E N S rationem, qua funus curari suum, cupiebat. Hanc igitur eius sequebantur liberi. Efferebatur ergo, comitantibus collegis, et discipulis, quondam suis, sub uesperam *XIII Calendas Maias*, et in templo AFRANO, haud ita procul ab altari, in eo sepulcro ho-neste condebatur, in quo etiam seruantur ossa M. IVSTI GODO-FREDI RABENERI, olim itidem rectoris AFRANEI illustris, auique materni uiuatae coniugis, quod heredes eius chalcea tabula, et inscriptione (t), signandum curauere.

F 2

Quod

(t) Verba huic tabulae insculpta haec sunt: Hier ruhet, nach fast 39jähriger Schul-Arbeit, sanft und seelig Herr M. Theophilus Grabener, welcher dem 3. Nov. 1685 zu Schoppach geboren, 1711 Collega Tertius an dem Freybergischen Gymnasio, 1717 Collega Tertius, und 1735 Rector, bey hiesiger Land-Schule, 1712 ein glücklicher Ehe-Mann seiner ieho betrueten Frau Witwe, Frauen Annen Dorothеen, geborener Böhmerin, und ein vergnügter Vater und Groß-Vater von 8 Kindern und 8 Enckeln, den 15 April 1750 aber denen Seinigen durch eine Brust-Krankheit entrissen, und darauf am Sonntage Jubilate hier be-gesetzt, worden.

XXXXIII

Quod PARENTS CARISSIMVS in commentatione, qua filio natu maximo matrimonii auspicia gratulatus est, demonstratum iuit, probum doctorem scholasticum facile euadere posse probum maritum, id sane suo ipsius exemplo quam luculentissime confirmauit. In iiii nimirum VI Idus Nouembres,  $\infty$  10CCXII, quum adhuc FREIBERGAE uersaretur, connubium cum pudica uirgine, uenerabilium parentum dilectissima, unicaque, filia, ANNA DOROTHEA. Suscepserat eam optimi exempli sacerdos, FREIBERGAE ad aedem IACOBI Diaconus, ADAM BOEHMER, ex coniuge lectrissima, ANNA DOROTHEA, filia doctissimi uiri, M. IVSTI GODEFREDI RABENERI, qui rector illustris AFRANEI MISENENSIS  $\infty$  10CCLXXXVIII obiit. Haec carissima marita, quae eodem die, sed non eodem anno, quo DESIDERATISSLIMVS PARENTS, nata est, ei quatuor filios, totidemque filias, peperit, scilicet

M. CHRISTIANVM GODOFREDVM, qui, quum anno  $\infty$  10CXXXVIII Conrector FRANCISCANEI MISENENSIS creatus esset, ab anno  $\infty$  10CXXXXII scholam nouae urbis ad DRESDAM rexit, cui  $\infty$  10CXXXXIII CHRISTIANA FRIDERICA, nata KOERNERIA, nupsit,

GOTTLIEB CHRISTIANVM, qui, legum peritus, iussu REGIO ius dicit in uico, ad fiscum PRINCIPIS pertinente, ZADEL, prope MISENAM, cognitoris causarum, quae agri MISENENSIS praefectureae attributae sunt, uices sustinuit, et iudicibus eorum, qui uasis Murrhinis fingendis, et ornandis, MISENAE operam nauant, fidem suam in iuris dictione obstrinxit,

M.

M. IVSTVM CHRISTIANVM, qui, quum Franckenber-  
gae seniorem Archi-Diaconum ab anno ~~15~~15CCXXXXVII  
subleuasset, paucis ante PARENTIS obitum horis de-  
signatus est Diaconus FRAVENSTEINENSIVM,

CHRISTIANVM FRIDERICVM, qui, uix mensem natus,  
obiiit,

ANNAM DOROTHEAM, quae ~~15~~15CCXXXXIII M. SI-  
GISMVNDO FRITSCHIO, MITWEIDENSIVM  
Archi-Diacono, nupsit,

EVPHROSYNAM DOROTHEAM cuius nuptiae cum  
M. GOTTHELFF EHRENFRIED BECKERO,  
Rectore scholae WVRCENSIS, instabant, quum CA-  
RISSIMVS PATER obiret,

CHRISTIANAM DOROTHEAM, quae matrem uidua-  
tam solatur, et

DOROTHEAM SOPHIAM, quae septennis mor-  
tua est.

Ex maximo natu filio, maximaque natu filia, uidit DVLCISSIMVS  
PARENS tres nepotes, et quinque neptes, quarum una prior ipso  
decessit. Quam prudens autem, mitisque, fuerit maritus, summus  
uiduatae coniugis luctus indicat, quam prouidus, amantissimusque  
suorum, pater, ita educatorum liberorum sors, ut omnes filios mu-  
neribus ornatos, duas filias despontatas, omnium autem mores curae,  
in ipsorum educatione positae, seueritatisque paternae, prudenti amo-

re temperatae, testes, atque indices, uiderit. Quorum ergo lacrimis, ereptum PARENTEM lugentibus, eo minus aliquis irascetur, quo plures sunt, qui mutuum horum parentum, et liberorum, amorem non ubiuis obuium iudicarunt.

Qui labores eorum nouit concatenatos, qui in scholis illustribus docent, DESIDERATISSIMVM PARENTEM operosis uoluminibus sibi non peperisse nomen, non mirabitur. Innotuit tamen orbi eruditio nonnullis ingenii sui monumentis. Sunt autem stanno exscripti sequentes

### L I B R I.

M. Christoph Weissenborns Einleitung zur lateinischen und teutschen rede- und Dicht-Kunst. Dresden und Leipzig, 1731. Praemisit tum PATER huic libello praeftationem de argumento et fine eiusdem, huncque defendit paullo post ab iniquo censoris cuiusdam litterarii iudicio. Anno 1731, eundem librum, aliquot praceptis auctum, paullulumque immutatum, ibidem iterum prodire, curauit.

IOANNIS BARCLAI Icon animorum, uirorum clarissimorum, AVGUSTI BVCHNERI, et CHRISTIANI IVNCKERI, notis illustratum, recensuit ex manu scriptis, et suis passim animaduersionibus, novo item indice uerborum, rerumque, auxit THEOPHILVS GRABENERVS. Dresdae et Lipsiae, 1731.

### V I T A E.

Vita CHRISTIANI EHRENFRIED LEHMANNI, Doctoris Medici, et Saxoniarum, quae foederatorum stipendiis in Belgio militant, copiarum Archiatri, exposita a M. THEOPHILO GRABENERO, 1732.

Eadem uita, etiam uersibus uernaculis enarrata, sub hoc titulo prodiit:

Herr

Herr Christian Ehrenfried Lehmanns, weyland Medicinae Doctoris, und bey denen Sachsischen in denen Niederlanden stehenden Trouppen Stabs-Medici Lebens-Lauff, verfertiget von M. THEOPHILo Grabenern.

Vita DAVIDIS THEODOSII LEHMANNI, Poëseos Professoris publici ordinarii in Academia Vitembergensi, auctore M. THEOPHILo GRABENERO, 1725.

Nec minus haec uita, in uersus Germanicos redacta,  
a PARENTE ita inscripta est:

Herrn David THEODOSII Lehmanns, weyland Poëseos Professoris Publici Ordinarii auf der Universität zu Wienberg, Lebens-Lauff, verfertiget von M. THEOPHILo Grabenern.

Herrn D. Christian Lehmanns, weyland Pastoris Primarii, und Superintendentis in Freyberg, Göttliche Führungen, deren Er von Anfang Seines Lebens, bis zu Seinem im hohen Alter erfolgten Ende, gar sonderlich genossen, und theils von Ihm selbst sind aufgezeichnet, theils sonst bey vertrauten Umgange mit Demselben angemercket worden, zusammengetragen von M. THEOPHILo Grabenern, Dresden, 1725.

Herrn Adam Böhmers, wohlverdienten Diaconi an der Fürstl. Lehn's-Kirche S. Iacobi zu Freyberg, und des dasigen geistlichen Ministerii Senioris, Lebens Lauff meist aus Seinen eigenhändigen Nachrichten verfaßet. Dresden, 1726.

Die gute Hand Gottes über Herrn M. Paul Christian Silscheren, der heiligen Schrift Baccalaureum und Pastorem zu Alt-Dresden, im Leben, Leiden und Sterben zu öffentlicher Be trachtung ausgestellet von M. THEOPHILo Grabenern, Dresden, 1731.

DISPV.

# DISPUTATIONES habitae

*In Academia Vitembergensi.*

**De planctu Hadadrimmon ad ZACHAR. XII, II.**  $\infty 10CCVIII.$   
**Praeside IOANNE CHRISTOPHORO WICH-**  
**MANNSHAVSENIO.**

**Duae de sacris IVDÆORVM peregrino in hortis ritu factis,**  
 $\infty 10CCCX.$

**De excommunicatione per insomnia,**  $\infty 10CCX.$

*In Afraneo Illustri.*

**De תורה ישראל,** seu Symbolo ISRAELITARVM, trans  
 IORDANEM incolentium, ad IOS. XXII, 22 - 29.  
 $\infty 10CCXXXVII.$

**De furto LACEDAEMONIORVM non furto,**  $\infty 10CCXXXVIII.$

**De illustrioribus quibusdam animi uitaeque notis, in CAIO IV-**  
**LIO CAESARE deprehensis,**  $\infty 10CCXXXVIII.$

**NERO CLAVDIVS CAESAR** ab adolescentia uirtiose institu-  
 tus,  $\infty 10CCXXXVIII.$

**Notatio indolis morumque OCTAVII CAESARIS AVGV-**  
**STI,**  $\infty 10CCXXX.$

Falsa artis Physiognomicae principia,  $\infty 10CCXXX.$

**De M. ATTILII REGVLI ad POENOS reditu,**  $\infty 10CCXXXI.$

Vindiciae WEISSENBURGENSIS coenobii secundum ue-  
 ram originem, et fortunam, datae,  $\infty 10CCXXXI.$

CICERO recte ac perperam philosophatus,  $\infty 10CCXXXII.$

**De Nomo DIONIS,**  $\infty 10CCXXXIII.$

Potestatem milites cogendi, qua usi ROMANI sunt, teste PO-  
 LYBIO L. VI. Cap. XVIII, et XVIII, et LIVIO L.  
 XXII, Cap. XXXVIII, iustum fuisse,  $\infty 10CCXXXIII.$

De

XXXXVIII

- De schola recte constituta,  $\infty 10CCXXXIV.$   
De THEOPHILO, Episcopo ANTIOCHENO,  
 $\infty 10CCXXXIV.$   
Animaduersorum ad CEBETIS TABVLAM Primitiae,  
 $\infty 10CCXXXIV.$   
Altera Dyas,  $\infty 10CCXXXVI.$   
Tertia Dyas,  $\infty 10CCXXXVII.$   
Quarta Dyas,  $\infty 10CCXXXVIII.$   
Quinta Dyas,  $\infty 10CCXXXVIII.$

D I S S E R T A T I O N E S.

Succincta commentatio de iis LVTHERANI coetus doctoribus, qui inde a restauratae coelestis doctrinae temporibus e scholarum rectoribus antistites sacrorum extiterunt, ad DOMINVM CHRISTIANVM FRIDERICVM WILLISCHIVM, quum is auctoritate REGIA FREIBERGAE sacro ritu, solennique formula, ad sacrorum praefecturam inauguraretur, ex illustri AFRANEO per officium gratulandi missa a M. THEOPHILO GRABE NERO,  $\infty 10CCXXV.$

Daß ein christlich-vermünftiger Schulmann auch leichte ein christlich-vermünftiger Che-Mann sey, bey Verheyrrathung Seines ältesten Sohnes, 1743.

P R O L V S I O N E S.

De prauo iudicio, quod, suopte, priuatoque, studio plus se profecturos, sperent quidam, quam publica magistrorum institutione,  $\infty 10CCXXXVI.$

De conuiiciis in scholas iactis,  $\infty 10CCXXXVI.$

De macula Pedanismi scholis illustribus praeter meritum adspersa,  
 $\infty 10CCXXXVI.$

De nota Pedanismi scholis illustribus falso inusta,  $\infty 10CCXXXVI.$

G

De

- D**e ueste scholastica nostratium praeter meritum Pedanismi accusata,  $\infty 1500$  XXXVII.
- C**armen elegiacum, inuitans ad uota pro felici connubio AVGVSTISSIMAE SICVLORVM REGINAE MARIAE AMALIAE, REGIAE PRINCIPIS POLONICAE, DV CISQVE SAXONICAE, facienda,  $\infty 1500$  XXXVIII.
- D**e praenominis WOLF uera origine, ac significatione,  $\infty 1500$  XXXVIII.
- D**e uerborum honore, quo publicos sacrarum rerum curatores prisca aetas est prosecuta,  $\infty 1500$  XXXVIII.
- D**e Theologia, quam DAGOBERTVS, FRANCORVM REX, in suo proprio construxisse dicitur in GESTIS TREVIORVM, Cap. XXXVII,  $\infty 1500$  XXXX.
- D**e ANSCHARIIS, duobus sacrorum apud septemtrionales populos instauratoribus,  $\infty 1500$  XXXXI.
- D**e MEDOLANO, IMPERII ROMANI CAMERA, ad illustrandum locum IOANNIS TRITHEMII in Chronico HIRSAVGIENSI, Tomo II. p. 302,  $\infty 1500$  XXXXII.
- E**xpositio rationis, qua illustris schola MISENENSIS sacrum saeculare secundum per triduum celebrabit,  $\infty 1500$  XXXXIII.
- D**e arbitriis funeraliis ad interpretanda TVLLII uerba, *Orat. pro domo ad Pontif.* Cap. XXXVII, *Orat. in PISONEM*, Cap. VIII, et *Orat. post redditum in senatu*, Cap. VII,  $\infty 1500$  XXXXIII.
- D**e placendi studio, quod ἀνθεπαγγέσταις GRAECI uocant,  $\infty 1500$  XXXXIV.
- A**d Glossarium Germanicum IOANNIS GEORGII WACHERI animaduersa,  $\infty 1500$  XXXV.
- D**e sodalitate equestri Asinaria, in Iudis equestribus veterum GERMANORVM frequenti,  $\infty 1500$  XXXVII.
- D**e communibus stirpium aliquot per EVROPAM maxime illustrium matribus,  $\infty 1500$  XXXVII.
- V**indiciae antiquae uocis Teutonicae GAV,  $\infty 1500$  XXXVIII.
- De

De formula ordinis pugnae forensis in foro BVRGGRAFIO-RVM NORIMBERGENSIVM olim usitata, quam Clar. CAROLVS FERDINANDVS IVNGIVS,  
*Miscell. Tom. I.* recensuit,  $\infty$  MCCXXXVIII.

Si uisum fuisset PATRI CARISSIMO, negotio facili potuisset orationum elaboratorum, LATINORVM carminum, non contemendorum, et laudationum funebrium, aliquot uolumina edere. Verum enim uero innumeris aliis, quae grauiora existimabat, negotiis distractus, ad eiusmodi consilium animum nunquam appulit. Sed uixit,

*et, quem dederat cursum fortuna, peregit (u).*

Persecuti sumus eius uestigia, et eum semper eundem EVOCATVM DEI et AVGVTI deprehendimus. DEVS enim euocauit eum in hunc terrarum orbem, SCHEIBENBERGA PORTAM, PORTA VITEMBERGAM, VITEMBERGA FREIBERGAM, FREIBERGA MISENAM, ex altero honoris gradu ad alterum, ex altero commodo ad alterum, ex periculis ad salutem, et quis non perspicit, quantum ex his euocationum generibus AVGVSTISSIMIS AVGVSTIS, SPLENDIDISSIMIS que eorum CONSILIA-RIIS, tribuendum sit? Quorum quidem omnium quum nunquam meminerit PARENTES DESIDERATISSIMVS, quin DEO, quas poterat, reuerentissimas gratias persolueret, REGIQVE, et PROCERIBVS, bene precaretur, nos etiam, in quos harum euocationum emolumenta non minus redundauerunt, DIVINAM PROVIDENTIAM gratissima mente ueneramur, REGI autem AVGUSTISSIMO, OPTIMATIBVSQVE SPLENDIDISSIMIS, tantae gratiae, tantorumque beneficiorum, semper memorem animum his piis uotis significamus, ut DEVVM ad suam tuendam, confirmandam, augendamque, salutem nunquam euocent precibus irritis, diuque exoptatissima felicitate gaudentes, euocationum suarum, saluti patriae intentarum, successu, ac praemiis, perfruantur! Obtigit autem

G 2

PA-

(u) Sic VIRGILIUS *Aeneid. L. III. u 633.*

BR26 4038

LII

PARENTI CARISSIMO etiam ultima, beatissimaque omnium, euocatio. Nam moriens quoque EVOCATVS A D<sup>E</sup>O dicendus fuit, si cum TVLLIO (x) a D<sup>E</sup>O euocatus ille sit existimandus, qui iniussa hinc non demigrat, sed cui caussam iustum D<sup>E</sup>VS ipse dat, ut laetus ex his tenebris in lucem illam excedat, nec tamen illa uincla carceris rumpat, haec autem felicitas istis modo contingat, qui se integrros, castosque, seruant, et in corporibus uitam deorum imitantur. Est enim omnino res plena solatii, certum esse de DIVINA morientium euocatione. Huic autem certi, certi quoque sumus sedis, ad quam emissus PII PARENTIS animus euolauerit, quumque, eum ibidem sui quoque in nos amoris praemio iam perfrui, confidamus, abstinemus uotis intempestiuis. In id uero cunctis uiribus enitemur, ut etiam nos moribundi, diuinae euocationis certi, euocanti laeti occinamus:

Ibimus, ibimas,

Quorsum ILL<sup>E</sup> praecessit, supremum

Carpere iter comites parati. (y)!

(x) *Tusculan. Quaest. L. I. Cap. XXX.*

(y) *HORATIVS L. II. Ode XVII, u. 10, sequ.*





W.C.



EVOCATIONVM DIVINARVM  
IN VITA  
DESIDERATISSIMI PARENTIS  
DOMINI  
**M. THEOPHILI GRABENERI**  
RECTORIS QVONDAM ILLVSTRIS AFRANEI  
NOTATIO  
DEO PARENTI POSTERIS  
A FILIIIS FILIABVSQVE  
**PATREM**  
COMMVNI AFFECTV LVGENTIBVS  
DEBITA ET DICATA  
LITTERISQVE CONSIGNATA  
A  
**M. CHRISTIANO GODOFREDO GRABENERO**  
RECTORE SCHOLAE NOVAE VRBIS AD DRESDAM.

